

*Philosophiæ  
practicæ*

1781


Philos.  
510


ULB Düsseldorf



+1402 735 01









PHILOSOPHIAE PRÆCTICAE  
METHODO PRAELECTIONIBUS PUBLICIS  
ACCOMMODATA

DISSERTATIO II

DE

JURE NATURAE

GENERATIVIM,

CUM REFUTATIONE ANONYMI,

QUI NUPER

SUB LARVA INDOCTI SACERDOTIS RURICOLAE  
WIEHRLIUM DEFENDERE CONATUS EST.

QUAM

UNA CUM SELECTIS

EX

LOGICA, METAPHYSICA & ETHICA  
POSITIONIBUS

PRAESIDE

FRANCISCO ANTONIO  
ZIMMERMANN,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS PALATINI  
TITULARI PRESBYTERO, PHILOSOPHIAE DOCTORE,  
EJUSDEMQUE PROFESSORE PUBL. ORD.

PRO

PRIMA PHILOSOPHIAE LAUREA

DEFENDIT

PERILLUSTRIS AC GENEROSUS

CAROLUS BORROM. L. B. THIMUS

DE ZIEVERICH, Aquisgranensis, s. c. c.

LOGICES, METAPHYSICES AC ETHICES AUDITOR,

IN ORDINE DEFENDENTIUM PRIMUS.

HEIDELBERGAE DIE SEPTEMBRIS 1781.

IN AULA ACADEMICA HORIS CONSUEVIS.

---

Typis Joannis Bapt. Wiefen, Universit. Typographi.

Philos.

570

2A

NOMINA DEFENDENTUM.

---

- I. CAROLUS BORROM. L. B. THIMUS  
DE ZIEVERICH, Aquensis s. c. c.
  - II. CAROLUS LEOPOLD. DE STENGEL,  
Mannhemienfis s. c. c.
  - III. P E T R U S H E Z E L,  
Heimershemienfis s. c. c.
  - IV. JOANNES BAPTIST. HERZBERGER,  
Seckenhemienfis s. c. c.
- 

PROLUSIONES.

- I. *Quae fuerint Leibnitzii circa libertatem humanam sensa?*
- II. *An Cartesiani vim activam causis creatis denegaverint?*





PHILOSOPHIAE PRACTICAE  
GENERALIS

DISSERTATIO ALTERA  
DE  
JURE NATURAE GENERATIM.

CAPUT I.

*De Norma actionum humanarum ejusque proprietatibus.*

§. I.

**D**iscussimus hæcenus actiones humanas, prout illæ vel bonæ materialiter, vel formaliter esse possint, five eas spectaveris physice, seu quoad consentiant cum bono quodam agenti intrinseco; five consideraveris, prout relationem dicant ad ipsum finem ultimum. Ostensum pariter est, enitendum esse per actiones suas homini ad finem hunc ultimum, quo reddatur perfecte beatus. Scire igitur actiones istas debet, quæ vel adversentur fini huic ultimo; vel cum illo conveniant: quibus aut excidat ab eo, aut ad illum promoveatur. Nor-





ma proinde actionum ad finem ultimum dirigendarum quaedam a Deo constituta sit oportet, qua homo discat libertate sua bene uti, & ad finem hunc adcurate dirigere.

\* Normam ejusmodi a Deo statui debuisse, ex infinita ipsius sapientia, providentia, & benevolentia satis patet.

§. 2. Supposita quadam actionum ad finem ultimum dirigendarum norma, actiones isti conformes *bonestæ*; *inhonestæ* vero diffformes vocantur: habitudinem ipsam actus ad normam hancce; *rationem moralem* aut *moralitatem* dicimus, & actum juxta habitudinem bene vel male positum, actum *moralem* adpellamus.

*Scholion.* Quid igitur discriminis interfit honestatem actus inter & bonitatem & turpitudinem inter ac malitiam, facile intelligitur. Si consideretur videlicet actus, quatenus ducit ad finem ultimum; *bonus*: si attenditur, quatenus normæ isti a Deo constitutæ conformis est; *honestus*: si spectetur, ut adversatur fini ultimo; *malus*: si perspiciatur, illum normæ esse diffformem; *turpis* aut *inhonestus* dicitur. Ceterum discrimen hoc forte subtilius, ac oportet, statuitur; interim tamen ad intelligendos philosophos morales præsertim antiquiores & latinos sua utilitate non caret.

§. 3. Dotes, quæ normam ejusmodi commendare debeant, sunt sequentes a) ut sit *recta*, h. e. ut nulli sit errori obnoxia; quodsi enim ipsa errore non fuerit immunis, quomodo actiones ad eam componendæ *rectæ*, quo-



quomodo ad finem ultimum adcommodatæ erunt? b) *Necessaria*, ita, ut necessario præcipiat ea, quæ ad finem ultimum consequendum requiruntur; & contra prohibeat æque necessario, quæcunque consequendo huic finis ultimo adversantur. Secus enim non sufficienter dirigeret hominem; quum aliquid eorum, quæ fini ultimo adversantur, non posset prohibere; aut non præcipere quidpiam eorum, quæ ad finem ultimum consequendum sunt necessaria. c) *Universalis*, ut dirigat & obstringat omnem hominem. Homines enim omnes eadem gaudent natura, idem omnibus finis est præstitutus, eadem igitur debent habere media, quibus ab eundem pertingant, ergo etiam normam eandem, juxta quam hæc media examinent adplicanda. d) *Prima*. Ut non in alias se priores resolvi possit; alias enim nec universalis illa foret, aut saltim operosum nimis foret, pro distinctis actionibus distinctas semper normas respicere debere. Ceterum & dari normas *secundarias* præter hanc primariam, nullus inficiat; ast illas æque esse universales, aut vim obligandi habere tam augustam, prorsus pernego.

§. 4. Imperium omne potestate niti imperantis, extra omnem puto controversiam: norma igitur ista, omnia agenda præcipiens, & omittenda prohibens, ad





omnes extendenda homines aliunde provenisse nequit, nisi ab illo cui subiectum est genus humanum univ-  
 sum. Quum igitur Deo soli competat illimitata in om-  
 nes homines potestas, ab illo etiam solo norma isthæc  
 debuit esse profecta. Præterea quum norma ejusmodi  
 prorsus indeficiens, ac nulli obnoxia errori esse debeat,  
 ut hominem certo ad finem dirigere ultimum valeat;  
 præter Deum autem nemo ab omni errandi periculo  
 absit; & ex hac ratione patet, non, nisi Deum autem  
 ejusmodi normæ statuendum esse. Norma itaque  
 actionum humanarum non est alia, nisi voluntas Dei  
 necessario vetantis ea, quæ a fine ultimo abducunt, &  
 præcipientis necessario omnia, sine quibus ille nequit  
 obtineri.

## CAPUT II.

### *De notionibus potestatis moralis juris, & ob- ligationis.*

#### §. 5.

**F**acultas libera ad actionem aliquam committendam  
 vel omittendam salva rectitudine morali saltem  
 negativa, h. e. tali, ut actio vel ejus omissio saltem non  
 fit positive mala, *Potestas moralis* dicitur. Potestas ist-  
 hæc tam ad omissionem quam ad ipsam actionem se ex-  
 tendens, seu talis, vi cuius agens & ponere possit &  
 omit-





omittere actionem salva rectitudine dicta morali *jus* appellatur. Potestas igitur se tantum ad actiones extendit vel sic simpliciter bonas, ut omissio illarum sit simpliciter mala, vel sic males, ut earum omissio sit simpliciter bona. Jus vero datur ad actiones, quæ quidem secundum se simpliciter bonæ sunt; quarum tamen omissio non est simpliciter mala, immo quæ sæpius etiam actionibus se melioribus præcise contradictorie opponuntur, ac proinde cum his eodem tempore sunt impossibiles.

*Schol.* Differunt hæc duo: *actio est moraliter possibilis & ad actionem competit facultas moralis.* Prius enim nil aliud innuit, quam actionem ita esse in libera eaque physica potestate agentis, ut illi ponendæ nulla magna difficultas obfret: posterius autem enuntiat, actionem fore rectam saltim negative, si libere ponatur; quod esse potest, etiamsi ob conjunctam sibi difficultatem moraliter sit impossibilis.

§. 6. *Necessitas moralis actionis liberæ est magna difficultas omissionis ejusdem, vel positionis, quæ oritur ex magno voluptatis aut tædii excessu, quem stimuli & motiva aut impellentia, aut absterrentia generant.* Quot modis igitur oriri potest actionem ponendi aut omittendi difficultas prædicta; tot modis etiam oritur necessitas moralis. Potest vero ista oriri 1) vel ab interna ipsius subjecti ad ipsam actionem vel omisso-



nem liberam dispositione, videlicet: a) ex confusa boni malive actioni aut omissioni proprii cognitione. b) Ex pravo habitu per actus malos ejusdem specie frequentatos contracto. c) Ex perturbatorum adfectuum vehementia nimia erga illos indulgentia in dies aucta. 2) Vel oritur ista ab externis a) personarum aliarum, b) rerum, c) loci, ac denique d) temporis circumstantiis, unde scilicet nova motiva aut absterrentia aut impellentia, eaque gravia proveniunt.

*Scholion.* Concurrere homines ad actionem alterius possunt, quatenus actione sua ad actualitatem illius aliquid conferunt, vel *actu quopiam intellectus*, notionem actionis ignotæ animo agentis insinuando, circumstantias in dato casu obvias patefaciendo, consilium dando: proponendæ motiva agendi aut non agendi; vel *actu voluntatis, aut voluntatis* veluti: jubendo, rogando, vetando, adhortando, dehortando, comminando, alliciendo, sollicitando, suadendo, & dissuadendo; vel *denique actu facultatis locomotivæ*: scilicet: adjuvando; instrumenta ad agendum necessaria suppeditando. In casuum adsignatorum nullo concurrere moralem imponit agenti necessitatem, nisi motiva simul suggererit illi, quæ sua gravitate abstertere, aut allicere potenter valeant acturum, voluptatis utpote aut tædii inde generati excessu valde magno.

§. 7. Actio personæ pro certa potestate sua morali necessitatem moralem liberæ actionis, vel omissionis alteri personæ imponentis, *obligatio* dicitur *activa*: Necessitatem vero moralis actionis liberæ committendæ  
 vel





vel omittendæ, orta a persona extranea, & ex ipsa imprimis certitudine de potestate illius morali ad eam imponendam, *obligatio passiva* vocatur. *Facultas* igitur seu *potestas obligandi* est potestas physica & moralis, connectendi cum libertate physica personæ alterius nova motiva agendi potius, quam non agendi, aut vicissim, eaque distincta a bonitate vel malitia intrinseca fundamentali actionis vel omissionis liberæ, ad quam ista obligatur.

*Scholion.* Patet igitur, a nemine nos obligari posse ad actionem positive malam; quum ad omnem obligationem activam requiratur potestas moralis, quæ ex §. 5. est facultas libera ad actionem aliquam committendam, vel omittendam salva rectitudine morali saltim negativa. Certum ex his definitionibus etiam est, a nemine nisi potestatem moralem habente, quæ physicam præsupponit, imponi posse alteri cuidam necessitatem moralem.

§. 8. Actio, qua alicui necessitas moralis libere aliquid agendi, vel omittendi imponitur, etiam *vis moralis* adpellatur. Si necessitas ista per motiva blanda imponatur & jucunda cum agendi libertate connexa; *vis amica*: sin autem per motiva molesta, *moralis coactio* dicitur. Potestas physica & moralis alicui inferendi vim amicam, *potestas imperfecta*; potestas contra physica & moralis cogendi, *potestas perfecta in libertatem alterius* vocari solet. Qui & quatenus posteriore gau-





det; *superior* est: & is, in cuius libertatem & quatenus superiori potestas perfecta competit, *subditus* nominatur.

§. 9. Hinc obligationis in perfectam & imperfectam divisio fluit. *Perfecta obligatio* scilicet est, quæ procedit ex potestate perfecta in libertatem ejus, qui obligatur; *imperfecta*, quæ fit vi morali amica ab eo scilicet, qui non habet potestatem perfectam in libertatem alterius. Prouti motiva cum ejusmodi actione a superiore connexa graviora fuerint, aut leviora; eo major vel minor etiam *obligatio passiva* activæ semper correspondens enascitur.

### CAPUT III.

#### *De notione Legis & connexis cum ea,*

##### §. 10.

**L***ex moralis* est regula morum superioris jussu pluribus communiter præscripta: si vero uni tantum præscripta sit; vulgo *præceptum* dicunt. *Lex affirmativa* seu *præcipiens* est, quæ actionem regulæ conformem, *negativa* seu *prohibens*, quæ omissionem talem præscribit.

*Scholion.* Quæri etiam potest, utrum non detur *lex permittens*? Quum lex omnis aut actionem aut omissionem illius respiciat, ad quarum alterutram subditus obligetur; per-



permissio autem nec ad actionem, nec ad ejus omissionem obliget; patet illam legem dici non posse, saltem respectu illius, cui actio aut ejus ommissio permittitur. Respectu aliorum vero, qui per hanc permissionem obligantur, ne alterum imponenda, omittendave actione impediatur, lex est negativa seu prohibens.

\* Quid sentiendum sit de istis definitionibus legis, in quas non ingrediatur idea superioris, praedictionibus refero. Interim tantum hoc adverte, auctores illarum pro fine habuisse, ut ostenderent etiam atheum ad actiones moraliter bonas obligari, eidemque legem scriptam esse, sicut aliis, naturalem. Quomodo id autem effecerint, videre est apud Joachim. Georg. Daries. Institut. Jurisprud. universal. C. 2 & 3. Baumeisterum institut. Philosoph. moral. etiam C. 2, & 3. & alios passim illustrem Wolfium in hac parte secutos. Conferendus vero etiam Ampliff. Statlerus, Eth. Christ. univers. S. II. C. I. A. III. § 332. in Schol.

*Scholion. II.* Celebris olim quaestio fuit, num promulgatio sit de essentia legis: adfirmabant alii, alii negabant. Quid ego sentiam, paucis expedito. Per promulgationem intelligo illum modum solemnem, quo superior authentice, instrumento publico suam voluntatem manifestat: quod fit vel per vocem praconis, vel per literas publicas loco adfixas publico: subin etiam voce & literis simul. Universim promulgatio debet esse talis, ut licet actu ad singulorum civium notitiam non perveniat, saltem pervenire de se possit: injustus foret judex aut superior, qui vellet obligare subditum suum ad aliquid agendum, aut omittendum, quod ipse nesciret. Bene igitur L. 9. C. de LL. *Leges sacratissima intelligi ab omnibus debent, ut universi praescripto*





*earum manifestius intellectu prohibita declinent, & faciant præcepta.* An autem dicta promulgatio de essentia, an vero adtributum Legis sit, an mera conditio, ut ajunt Scholæ, sine qua non, disceptatio mihi videtur, quæ plus subtilitatis habeat, quam utilitatis. Ceterum, quum de jure naturali loquor, facile intelligitur, hic locum haud esse decidendi quæstionem illam inter theologos & Canonistas controversam, videlicet: num Lex Romæ promulgata obliget in universis Diœcesibus sine ulteriore in iis facta promulgatione solemni. Confer. Daries. l. c. §. 109. & sequent. vid. etiam huj. Dissert. §. 26. in notis.

§. 11. Lex multifariam dividitur a) in *divinam* & *humanam*. Lata scilicet ab ipso legislatore Deo, *divina*; ab homine vero lata *humana* dicitur. Lex divina in *naturalem* & *positivam* dispescitur. *Naturalis* est, Lex æterna Dei per lumen rationis homini manifestata. Hæc, quatenus in mente Numinis existit, dicitur *æterna*; quatenus vero homini est indita, *lex naturæ* vocatur. *Positiva* ea dicitur, quæ ab ipso Deo in tempore lata per revelationem nobis innotescit. Lex humana varias rursus subdivisiones patitur, quas suo loco reservamus indicandas. Complexus legum omnium naturalium passim *Jus naturæ* adpellatur.

*Scholion.* Carpitur a multis Ulpianus, quod L. 1. §. 3. ff. de J. & J. Jus naturæ definiat, esse *jus illud, quod natura omnia animalia docuit.* Objiciunt videlicet illi: Hæc definitio, in eadem cum pecoribus classe hominem collocare





re videtur, qui tamen alia præditus natura, ad alium ordinatus finem est, ac aliis propterea substat regulis, quam quibus animalia ratione destituta diriguntur, indignum itaque esse, jus naturæ ex stabulis pecudum defumere. Hæc Ulpiani vituperatores. Ast erudite has objectiones solvit, & istum defendit Cl. Ditterich J. P. Argentinae Professor in Compend. J. N., §. IV. Schol. a).

§. 12. Variæ sunt J. N. qualitates; est enim

a) *Jus divinum* modo jam §. præced. explicato.

b) *Jus æternum*; Etsi enim homini primum per rationem in tempore promulgetur: quum tamen ab æterno jam concepta fuit in mente divina, & per voluntatis decretum pro natura rationali ordinatum; nil obstat, quominus hoc sensu æternum dici valeat.

c) *Necessarium*, in hypothesi videlicet, qua Deus libere decreverit naturam rationalem creare, non alias illi leges naturales præscribere potuit, ac reipsa præscripsit. Quamvis enim Deus in actionibus transeuntibus liberrimus sit; in hypothesi tamen ista, qua creare voluerit hominem, vi infinitæ suæ benevolentiaë etiam in actionibus transeuntibus debuit illi præfigere finem optimum, beatitudinem tantam, quantæ foret capax, media ad hanc consequendam perfectissima; sed si vel unicam Legem naturalem fundamentalem non tulisset, non omnia hæc præstitisset, ut patebit per singulas eun-

ti;



ti; necessarium igitur in dicta hypothese fuit tales leges ferre.

d) *Immutabile*. Probe notandum est, legem triplici modo mutari posse, scilicet per *additionem*, *abrogationem*, aut *derogationem*. Quando legi principali aliæ secundariæ magis determinativæ aut explicativæ illius adjiciuntur; *per additionem*: Quando legi obligatio ipsi prius propria adimitur, seu quando lex definit esse Lex; *per abrogationem*: Quando denique pars aliqua legis cessat, seu obligare definit; *per derogationem* immutari dicitur. Mutatio per additionem seu explicationem propiorem mutationem plerumque impropriam vocant; quia lex principalis illa accedente etiam salva persistit, & non tam immutatur, quam pressius figitur. Hanc mutationem (si ita porro vocare libuerit) juri naturæ non esse inimicam, per se itaque patet; & exemplis etiam plurimis sic pressius declarati J. N. e sacra Scriptura posset illustrari e. g. in ceremoniis cultui divino J. N. præscripto adjunctis. Quando igitur dicitur J. N. immutabile, id eatenus intelligendum est, nec abrogari illud ex toto, nec derogari ex parte eidem posse; hocque jam evidenter ex priore proprietate constat. Quod enim vi infinitæ benevolentiæ Deo necessarium fuit statuere pro natura rationali, id mutare nullo tempore potest; prius antea demonstravimus; igitur ru-





to concludere possumus: Jus naturæ semper est absolutum, nunquam mutabile. Nam sub ea ratione, sub qua aliquid per se malum est, semper J. N. necessario est prohibitum, exigente illud non modo sine ac felicitate naturæ, sed ipsa ejus gubernatoris perfectione: sub qua ratione autem aliquid natura sua malum non est, sed ita comparatum, ut illud prohiberi nec recta naturæ humanæ constitutio, nec perfectio gubernatoris exigat, nunquam subjectum est legi naturali. Praeclare hoc jam agnovit Andronicus Rhodius apud Grotium de J. B. & P. L. 1. c. 1. §. 12. *Apud homines recta saneque mente præditos immutabile est jus illud, naturæ quod dicitur. Quodsi bis, qui morbido distortoque sunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur, qui mel dulce esse dicit, ideo quod ægrotis aliter videatur.* Adde objecta juris naturæ esse intrinsece honesta seu inhonesta, atque ideo tam parum posse efficere Deum, ut inhonesta sint honesta, aut vicissim; quam parum ex impossibilibus facere possibilia potest.

\* Objectiones, quas passim adferre solent, non multum difficultatis habent. Ajunt enim

a) Legislatorem quemlibet posse Legem a se conditam tollere; ac proinde nefas esse id Deo ipsi circa legem naturalem abjudicare. --- Verum antecedens tum duntaxat verum est; quando de lege libera & non necessaria fermo est.

b)



β) Deum peccata posse non punire, & ideo etiam non prohibere. --- Condonando peccata Deus ista non adprobaret; aut non prohibendo adprobaret ea; & condonatio actus est misericordiae atque bonitatis adeoque perfectionis divinae; sed non prohibere ea, quae fini ultimo obstant consequendo non perfectionem, at limitatam ipsius benevolentiam ad extra operantis & ideo defectum seu imperfectionem in Deo argueret.

γ) Quando homo fiat amens, tunc non amplius obligari cum lege naturali, quamvis antea fuerit ista obligatus; hujus igitur ratione jus naturale ex obligante fieri non obligans, adeoque immutari. --- Amenti jus nullum esse scriptum est certissimum.

δ) Hominem de jure naturae nasci liberum, bona de jure naturae omnibus esse communia; libertatem vero istam, sicuti bonorum communionem esse sublatam, adeoque jus naturae immutatum. --- Jus naturae nihil disponit circa libertatem hominis naturalem, in qua nascitur, vel retinendam, prout accepit, vel libere restringendam: Jus idem pariter nullam alteri praeter altero proprietatem tradit. Immo, ut liberrimus sit homo; debet etiam potestate gaudere, libertatem suam tam quoad actus proprios, quam jura sua restringendi per pacta positiva, quod & factum esse, suo loco dicetur.

ε) Illicitem esse jure naturae homicidium absolute, & tamen conditionate esse licitum, quando e. g. aliquis legitime sustineat dignitatem Principis in subditum reum, aut quando servato moderamine inculpatae tutelae injustum aggressorem quis occidit. Dari proinde jus naturae conditionatum, adeoque pro varia conditione varium, mutabile,



bile. --- Jus naturæ dicitur nobis; *nemini licere, alterum injuste occidere*; quæ lex invariata semper manet, & nullo in casu, licita evadit injusta alterius occisio.

ζ) Furtum Jure naturæ prohibitum fuisse semper, Deum tamen Israëlitis Aegypto egressuris permisisse, ut vasa ab Aegyptiis mutua peterent, eaque retinerent, adeoque furarentur, auferendo scilicet ea dominis rationabiliter invitis; sed sic jus naturæ fuisse immutatum, quum licuerit Israëlitis, quod prius erat prohibitum. ---

Quam furtum sit; ablatio rei alienæ invito rationabiliter Domino facta; Deus vero univerforum Dominus; ipsa sua, quam dedit Israëlitis, mutuandi vasa prædicta facultate, jus proprietatis ab Aegyptiis ablatum transtulerit in Israëlitas: patet illos furtum nequaquam admisisse, & saluum omnino permanisse J. N., quod furtum duntaxat prohibet.

η) Possessionem rei alienæ jure naturæ prohibitam esse, hanc tamen in casu præscriptionis a superiore legitimo adprobari, & hanc adprobationem hodieum ab omnibus probare Theologiæ & J. N. Doctõribus pro justa haberi, aut igitur J. N. esse immutatum, aut præscriptionem ejusmodi esse illegitimam, injustam --- Jus N. prorsus immutatum etiam circa rei alienæ possessionem hodieum persistit. Interfuit autem communitatis cujusvis, dominia rerum esse certa & indubitata: acui industriam & attentionem possessorum: litibus diuturnioribus & subinde inextricabilibus; Sicut ergo ob quietem publicam retinendam & turbas omnes avertendas in prima rerum occupatione & divisione licuit figere dominia certa; sic a pari J. N. prohibitum nequaquam fuit, ut communi consensu respublica primitus in talem legem concesserit, vi cujus dominia rerum certa redderentur, & retinerentur, excitarentur possessores, li-



tes præscinderentur; & ejusmodi legem esse legem præscriptionis, quis ignoraverit. Per præscriptionem igitur res aliena nequaquam possessori adjudicatur, sed res, quæ ex primæva conventionè civium, aut ex legislatoris hanc communitatem repræsentantis potestate ac lege jam *ipsum est, ipsum esse & permanere* declaratur. Nil igitur etiam in hoc casu est, quod Jus naturæ aut mutatum, esse aut fore mutabile, evincat.

§) Obligationem ex contractu ex J. N. utrique contrahentium incumbere, palam esse; ast hanc ipsam obligationem a superiore legitimo, quin ab ipsis adeo contrahentibus mutuo consensu tolli, adeoque jus naturæ immutari posse. --- Lex N. contractum quemvis legitime initum observari jubet, quamdiu ut talis persistit; quodsi autem ambo contrahentes eodem consensu mutuo contractum dissolvant, quo inierunt antea: aut si superior legitimus potestate sibi ex pacto primævo, seu majorum translatione sibi competente solemnitates quasdam contractui ineundo adjiciat, quas observari rei interest publicæ, hasque ita adnectat, ut sine hisce observatis contractum ipsum nullum esse, statuatur; & postea ex illarum defectu prorsus illum fuisse nullum declaret, obligatio ipsa cessat; nec tamen Jus naturæ immutatur, quum illud statuatur tantum, obligationem esse ad contractum servandum, quamdiu subsistat iste. Eadem circa dispensationes in votis & aliis adinibus respondenda sunt.

*Coroll. I.* Quum dispensare in lege nihil sit aliud, ac subditorum unum vel alterum, ceteris licet obligatis, ab ipsa legis obligatione eximere; patet nec hominem ullum in jure naturæ dispensare posse; siquidem inferiori nulla in legem superioris potestas competat: immo nec ipsum Deum

in





in J. N. dispensare proprie posse, ex eo liquet satis, quia jus hoc immutabile, necessarium, æternum, & uti mox audiemus, universale est. Ubi ergo Deus in jure naturæ dispensasse videtur; non dispensavit proprie, sed objectum pro illo casu mutavit, ut non esset materia legis.

*Coroll. II. Epikia proprie talis*, seu benigna interpretatio, emendatio, aut exceptio Legis fit; quando quis judicat, actionem aliquam particularem, quam certo scit esse sub lege comprehensam, in certis circumstantiis a lege esse excipiendam, ob præsumptam benignam in legislatore voluntatem: at benigna hæc interpretatio valere neutiquam potest in jure æterno, necessario, immutabili, universali. *Epikiam improprie* talem vocant judicium ex gravi motivo latum, actionem quampiam sub lege neutiquam comprehendi: quum hæc igitur sit mera legis declaratio, quoniam actus lege comprehendantur, & qui non; lex naturalis utique eam admittit. Multa enim sunt juris naturæ præcepta admodum implicata, multa certis duntaxat temporibus ac circumstantiis adfixa, quæ non, nisi longa ratiocinatione ex primis ac generalibus principiis erui possunt. Unde etiam, quando actus ita mutatur, ut non sit materia legis naturalis: lex naturalis non emendatur, neque mutatur, sed declaratur tantum, actum talibus circumstantiis vestitum non esse materiam legi naturali subiectam.

e) *Universale*. Natura videlicet in omnibus hominibus eadem est: idem est omnibus finis ultimus præstitutus: æqualiter subsunt legislatori supremo: quidni iisdem propterea legibus dirigantur?

*Coroll.* Adulatores igitur sunt impii, quicumque Principibus nec ipsum jus naturæ scriptum, & tantum cullibet juris esse, quantum potentia, cui resisti nequeat, adserunt.



*Schol.* Universalitas hæc J. N. sic tamen restringenda est, ut ad solos homines ratione utentes referatur. Quare ad bruta, infantes, aut amentes non est extendenda; quum isti aut ratione careant, aut usu illius destituantur, adeoque expertes sint promulgationis, ad legem quamvis ex supra dictis necessariam. Vid. Ditterich l. c. & de Martini Exercitat. de Lege nat.

f) *Jus naturæ vere obligat sub culpa & pœna*, seu, ut alii loquuntur, *gaudet vi non tantum directiva, sed etiam coactiva*. Lex enim naturæ norma esse debet, juxta quam homines actiones suas instituunt: inanis vero foret norma isthæc, nisi ita esset comparata, ut motivo aliquo impelleretur voluntas ad illam observandam. Motivum istud præmia sunt observantibus, & supplicia negligentibus statuta. Non igitur nuda sunt consilia leges naturales, sed præcepta stricta.

*Schol.* Legum naturalium alix sunt *adfirmativæ*, quæ scilicet præcipiunt actionis cujusdam positionem: alix sunt *negativæ*, quæ prohibent poni actionem aliquam. Hæc quovis momento obligant: Sic quum lex negativa sit illa Decalogi: *non furtum facies*; singulis momentis, hominum quilibet sana utens ratione obligatur ad abstinendum ab actione furti: Illæ vero, adfirmativæ scilicet *quovis tempore* quidem vim obligandi habent, sed non *pro quovis tempore*, seu, ut scholæ loquuntur, obligant quidem *semper*, sed non *pro semper*. *Honora patrem tuum*, Lex adfirmativa est quovis tempore vim obligandi habens. Sed non quovis tempore actualiter obligans, ad actum aliquem honorationis paternæ ponendum.





§. 13. Status hominum vel est mere naturalis, vel ex naturali & adventitio mixtus. Leges naturales, quæ homini latæ sunt in statu mere naturali viventi, *Jus naturæ absolutum*, quæ vero ipsi ut degenti in statu quodam adventitio latæ sunt, *Jus naturæ hypobeticum* dicuntur; quia videlicet hominem tantum obligant, quatenus hujus aut alterius societatis membrum tale vel aliud est. *Consule Davies. in Præcognoscendis. Jus nat. & Genr. a §. 16.*

#### CAPUT IV.

##### De Ignorantia Juris Naturæ.

###### §. 14.

**I**gnorantia est absentia cognitionis: quando igitur quæritur, utrum præcepta juris naturæ ignorari ab homine possint, idem est, ac si dicerem: an abesse illorum cognitio ab homine possit. Ad hanc quæstionem autem determinandam juvat præscire, præcepta juris naturæ in *principia & Corollaria*, seu in præcepta *primaria, generalissima, fundamentalia & secundaria* sive *particularia* dividi. *Primaria* sunt principia seu *fundamenta* morum & honestatis generalia; *secundaria* sunt corollaria ex hisce principiis pro casibus particularibus deducta.

§. 15. Ob infinitam suam in actionibus etiam transeuntibus benevolentiam, dum hominem creavit



Deus, ad beatitudinem, cujus capax esset, summam creare ipsum debuit. *Vid. Theol. nat. Ampl. Statleri.* Media igitur suppeditare debuit ad beatitudinem istam consequendam optima; efficaciter alias noluisset eam. Cognitionem itaque non potuit non largiri eorum omnium, quæ aut promovere hominem ad finem istum, aut abducere ab illo valerent; ut priora declinare, amplecti vero posteriora, in ipsius esse fitum potestate, adeoque author aliquomodo evaderet, ipsemet aut summæ felicitatis suæ, aut infelicitatis. Præterea sentio in memet ipso constantem & non voluntariam inclinationem ad adferendas istas generales morum regulas ac veritates, ad quas adferendas neque ab aliqua illarum ratione sufficiente distincte cognita, neque a sensatione aliqua externa, neque demum ab aliqua autoritate aut institutione humana impellor. Talia sunt: *Existit Deus, bonorum remunerator, vindex malorum. Declina a malo, & fac bonum. Quæ tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Deus colendus, amandus proximus &c.* Inclinatione igitur ista ad adferendas veritates ejusmodi mihi naturalis omnino est. Quum vero ceteri homines eadem, qua ego, natura gaudeant; iisdem pariter inclinationibus naturalibus duci debent. Cognoscunt itaque & alii eadem natura ducere ac magistra veritates illas, quas ego cognosco. Et quum dentur principia prima intellectus directiva, cui-

vis





vis rationis compoti evidentia; quare non dentur & pariter prima respectu voluntatis ad morum honestatem dirigendæ.

\* Bene igitur S. Paulus epist. ad Rom. 2. C. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum.* S. August. in Psal. 57. *Scriptis Deus naturæ legem in cordibus hominum, quam non sinuntur ignorare, ut esset, unde judicarentur.* Consulantur etiam Cic. de LL. Stattlerus in Log. S. V. C. I. Agricola in differt. de sensu nat. Com.

*Scholion.* Quæcunque ex itinerariis forte mercatorum, aut aliis etiam libris de barbara & experte omnium primorum J. N. principiorum cognitionis vita hominum in terris transmarinis proferuntur, merito sublesta esse fidei censentur, & ut talia ex naturæ inter omnes homines omnimoda supra pro demonstratione adlata evinci possunt. *Quæ natio, bene interrogat Cicero de LL. l. 1, non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit?* Profecto Incolæ in Kamtschatka, antequam conversabantur cum Russis, miserrimis, turpissimis, & maxime degeneribus globi terraquei inhabitatoribus erant accensendi, nec tamen usque quaque adeo hebetes erant; ut non instinctus illos ad honestatem generalissimos in illis advertere licuerit. Videantur de his Cl. Christoph. Meiners. Philosoph. Götting. Prof. *Ver-mischte philosophische Schriften.* 1 Th. 9. 5. S. 164. Legi etiam in hanc rem merentur Henrici Home *Versuche über*



die Geschichte des Menschen & Carol. Frideric. Flögelii Geschichte des menschlichen Verstandes. Et quid, si dantur populi, contra generalissimos boni malive instinctus viventes, inde evinci aliud poterit, ac evincitur ex factis hominum perversissimorum plena agendorum & omittendorum notitia gaudentium, & tamen contra illam continuo peccantium?

§. 16. Præcepta particularia seu secundaria J. N. sunt explicationes & adplicationes primorum principiorum ad casus particulares, seu corollaria ex iis pro casibus particularibus deducta §. 14. Opus igitur ratione est expedita, & indagandis rerum nexibus adsueta, hanc autem non omnibus inesse hominibus, experientia quotidiana commonstrant. Proditum enim memoriæ est a rerum gestarum Scriptoribus, & adcuratis actuum humanorum examinatoribus, nationes fuisse & populos, immo esse etiamnum, qui in variis particularibus J. N. præceptis halucinati fuerint, & adhuc halucinentur. Quid? quod scimus, viros per totam vitam indaganda veritate occupatos tamen non raro deflexisse ab ea. Sic subtilis ille Socrates Apollini Gallum immolari iussit: sic alii etiam sancti falsas de mendacio, duello &c. doctrinas fovebant. Si ignorantia ejusmodi adhibito etiam veri inquirendi studio deponi non possit; culpa caret omni §. 28. dissert. primæ. Nec inde quidpiam absoni in Deum ipsum, talium præceptorum notitiam non concedentem inferri potest. Non enim propterea damni quid-





quidpiam patitur homo, secundum cognitionem duntaxat suam ad agendum obligatus, uti fusius patebit ex dicendis; deinde vel maxime decuit hominem in tali conditione nasci, in qua veritas indaganda labore quodam constaret. Remedium hoc est contra superbiam manifestissimum, domesticum: Studium indagandæ operosius veritatis occasio majoris non raro meriti evadit: & sic uti cognitionis quodam modo suæ, ita & felicitatis autor dici melius homo potest. Immo, quum rerum quarundam ignoratio cum utilitate potius, quam detrimento conjuncta esse videatur, & sæpe ignorantes *imprudenterque plus boni uno Die faciant, quam scientes antea unquam* Terent. Hecyr. V. 39. merito colligimus non omnem ignorantiam esse malam, ac vituperabilem. Exemplo esse potest certorum scelerum, de quibus ne fari quidem licet, ignorantia; si tunc ignotorum nulla cupido est. Quis enim eam non pluribus exoptet; quum animum turpissimis cupiditatibus ocludat, præstetque impervium! Sic sane Scythas eo nomine laudat Justinus *Hist. II, 2. Quod in iis tanto plus profecerit VITIORUM IGNORANTIA, quam in Græcis cognitio virtutis.* Nec minus majores nostros miratur Quintilianus *Declam. IV, ubi de impurissimo agens flagitio: Nil tale, inquit, NOVERE Germani, & sanctius apud Oceanum vivitur.*



## CAPUT V.

*De principio cognoscendi juris naturalis.*

§. 17.

**V**exatissima hæc de principio juris naturalis cognoscendi quæstio est, agitata a veteribus & recentioribus, Catholicis & Protestantibus Doctoribus, nec nostris adeo temporibus decisa, sed in plures adhuc defensa partes est. Nos proinde ad pleniorum Candidatorum instructionem operæ pretium putamus, altius repetere ea, quæ controversiæ huic in clariorem ponendæ lucem inserviant. Rem itaque ab ipso, ut ajunt, ovo exordimur.

§. 18. *Principium* in genere dicitur, quod cum altero a priori connexum est; vel si mavis, quod continet in se rationem alterius. Aliud, si ad speciem descenderis, vocatur *principium possibilitatis*, seu *essendi*, quod videlicet continet in se rationem, cur res quædam existere possit: aliud *principium existentie*, seu *fiendi* appellatur, quod nempe ratio est existentie rei alterius: aliud demum *principium cognitionis*, seu *scientie* nominant, & est veritas logica, ex cujus intuitu tanquam ratione sufficiente dependet intuitus & cognitio aliarum, vel est propositio vera, per quam intelligitur veritas alterius propositionis. *Principiatum in genere* dicitur omne illud,





illud, quod cum altero a posteriori connexum est: vel cujus ratio continetur in alio. Per se patet, totuplex dari principiatum, quotuplex datur principium. Alio etiam sensu dividunt principia in *interna*, & *externa*. Principium *internum* vocant, quod principiatio inexistit, tale est principium possibilitatis: *externum*, quod extra principiatum existit, sic faber lignarius relate ad domum est illius principium externum.

§. 19. Principium scientiæ iterum bifariam spectari potest: Vel enim est summa illius scientiæ, sive omnes illius scientiæ veritates, nulla excepta, ex eo deduci possunt; vel tantum aliquas in se continet: priore sensu principium *primum*, *generalissimum* illius scientiæ; posteriore *secundarium*, *parziale* adpellatur.

§. 20. Conceptu igitur generalissimo J. N. principium vocare illud licet, quod vel possibilitatis, vel existentiae, vel cognitionis juris naturæ rationem in se continet, vel quod cum eo a priori connexum est. Circa principium possibilitatis J. N. si quæstio foret, quodnam illud esset, sub distinctione responderi deberet. Aut enim spectaretur possibilitatis internæ, aut externæ principium. Prius in ipsa J. N. præceptorum concordia seu non repugnantia naturæ rationali; alterum in ipsa Dei omnipotentia esset collocatum: *consultantur de his Metaphysici.*

§. 21.



§. 21. *Principium existentiae J. N.* ex supra jam dictis de norma actionum humanarum prima satis intelligitur, esse ipsissimam Dei voluntatem, quæ ob cognitam actionis cum fine ultimo con- aut difformitatem, ad eam vel ponendam vel omittendam genus humanum obligavit, & ex supposito creationis obligare debuit.

*Schol.* Circa possibilitatis & existentiae J. N. principium diffident Philosophorum aliqui ab hac ipsa, quam duobus præcedentibus §§is attuli, sententia. Ac primo quidem ii, quibus solemne est nullam admittere possibilitatem *internam*, eamque *externam* tantum, seu in ipsa Dei infinita potentia sitam arbitrantur, pro principio possibilitatis juris naturæ solam pariter Dei omnipotentiam adsignant. Ast meo quidem iudicio parum adposite: Circulum enim vitiosum in probanda Dei omnipotentia evitare nequeunt, quotquot istius sunt opinionis. Quaratur scilicet ex ipsis: *quare Deus est omnipotens?* respondebunt; *quia omnia producere potest.* Sed nonne quis prudens perspicit sensum responsionis esse ipsissimum quæstionis? Quidsi hoc unicum adversariis opponeretur: *Deus ideo est omnipotens, quia omnia producere potest; ergo si non omnia producere potest, non est omnipotens: atqui non potest producere duos montes sine valle, ergo non est omnipotens:* an se extricabunt sine refugio ad contradictionem duorum montium sine valle interposita, seu ad impossibilitatem internam?

Alii pro principio existentiae J. N. ipsam hominum essentiam existentem adstruunt; nec tamen ita iniqui sunt; ut prorsus Dei voluntatem humanæ naturæ genitricem excludant: immo illam tanquam *principium fendi remotum*  
faltim





factum admittunt. Ipse Hugo Grotius sententiæ fautor, tamen in Proleg. de J. B. & P. ait: *Et alia juris origo est præter illam naturalem, veniens scilicet ex libera Dei voluntate.* Et paulo inferius pergit: *Sed hoc ipsum naturale jus, quamquam ex principiis homini internis profuit, Deo tamen adscribi merito potest, quia, ut talia principia in nobis existent, ipse voluit.*

§. 22. Major est Doctorum controversia circa principium scientificum seu cognitionis J. N. Juxta generalem §. 18. datam principii scientifici definitionem, principium cognitionis juris naturæ est propositio J. N. vera, per quam intelligitur veritas alterius propositionis J. N. Et si primum, universalissimum illud fuerit juris naturæ principium; tale esse debet §. 19. ut omnia juris naturæ præcepta ex illo deduci valeant, five brevius cum Adamo Friderico Glassey *dissert. de collis. offic.* §. 6. est summa juris naturæ. Principium Juris naturæ hoc modo descriptum termino scholastico etiam vocatur *principium primum J. N. objectivum.*

§. 23. *Principium J. N. cognoscendi subjectivum* est facultas, per quam juris naturæ præcepta explorare, atque deprehendere licet. Alio etiam nomine scholæ antiquiores principium hoc vocabant *principium per quod.* Quantum vero hoc inter & prius §. præced. differat, in exemplo ostendo. Quando leges in civitate per editum



Etum promulgantur, quod dein tabulæ in eum finem destinatæ adfigitur; tunc facultas, qua quis pollet, ut edictum legere, vel ejus sententiam audire possit, est *principium per quod*, seu *subjectivum*: ipsius vero edicti exemplar principium erit *objectivum*, seu *ex quo* voluntas legislatoris cognoscatur. Fingas etiam in edicto omnia armorum genera, veluti: sclopeta, gladios, nitrum, pulverem pyrium, pilas ignarias singillatim enumerari, & ne extra provinciam evehantur, prohiberi; tunc propositio: nihil eorum efferas, quæ ad armandos hostes pertinent, erit axioma universale, in quo omnes edicti partes continentur.

§. 24. Principium subjectivum J. N. communiter triplex statuitur. *Instinctus* videlicet *naturales*, *ratio*, & *autoritas*. Totidem enim sunt facultates hominis, ex quibus ille juris naturæ præcepta explorare possit, ac deprehendere. Dari ejusmodi instinctus naturales in nobis, ætate saltim nostra philosophorum nemo dubitat; sola, eaque acris admodum tum inter particulares Doctores, tum inter facultates integras controversia agitabatur; num impulsus ejusmodi, stimuli, elateres, aut instinctus naturales ad unum aliquem primum reduci possint, aut num eorum primarii, primitivi, originarii admittendi sint plures.

*Schol.*





*Scholion.* Ipse ego in causa Wiehrliana desuper mentem meam aperui, quam in praesens coram publico vindicare saltim brevissime, & quantum pagellarum harum angustiae sinunt; cogit schediasma aliquod sub titulo: Martin Wiehrl Professor der Philosophie zu Baden gerechtfertigt gegen J. Anton Zimmermann Professor der Philosophie zu Heidelberg in lucem publicam datum. Puduisti (ut cum Cl. Agricola in reflexionibus philosophicis loquar) puduisti autorem nomen addere infami operi, utinam puduisset etiam, aut manum eidem adplicare, aut saltim in publicum spargere infaustos labores. Indignum, quod prophana sua consilia sub sacratori sacerdotis larva abscondere velit, & sic incautas mentes eat, deceptum certius. Unum hoc laudo, quod veritus fuerit Venerabilem totius Cleri ruralis ordinem audacius prostituere, & semet quasi ex classe virorum illorum exmerit, quos & Ecclesia ipsa & orbis cum ea universus ut doctos fidelium animarum pastores veneratur; nominat enim se *indoctum & sacerdotem ruricolam* (einen ungelehrten Landspriester.) Verum nonne haec ipsa nominis demissio humiliet profundius Professore publicum? Esto: mens haec adversarii fuerit larvati; quis tamen praconceptis opinionibus liber haud plaris eum faciet, ac pueros retro fruticeta & aedificiorum angulos latitantes, ac lapidum congeriem in praetereuntes ut clanculum, sic malitiose ejaculantes. Aut num ex causis honestis de typi loco & nomine proprio siluerit? concederem, si causa honesta fuerit, virum calumniis proscindere ex hara productis, & ubi rationes deficiunt, ad scommata, & vix non scurrilia dicteria refugere. Quam potens autem in hoc refutandi genere sit larvatus meus adversarius, vix non quavis sui schediasmatis pagina cumulatim exhibet. Ast mittamus haec omnia viro literato indignissima: fruatur indoctus sacerdos ruricola coram orbe universo hac  
lau-



laude gloriaque solus, quod publice profitear, me, nisi vim inferrem mihimet (quanquam quis homo id posset a tumultuariis adfectibus sobrius?) nunquam parem in furioso hoc decertandi genere futurum. Non enim cum persona aut contra aliquam mihi res unquam fuit, eritque; sed quod Cicero L. 2. Quæst. Tuscul. sentit; item & ego sentio, videlicet: *Non sumus ignari, multos studiose contra esse dicturos, quod vitare nullo modo potuimus: nisi nihil omnino scriberemus. Sed tantum tamen abest, ut scribi contra nos nohimus, ut id etiam maxime optemus, nosque redargui, refellique paviamur; quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam, destinatisque sententiis quasi addicti, & consecrati sunt, eaque necessitate constrikti, ut etiam, que non probare soleant, ea cogantur constantie causa defendere. Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra id, quam quod verisimile occurrerit, progredi possumus, & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia parati sumus. Et hoc sectionibus sequentibus sincere præstabo, quæ totidem adversarii §§is respondeant. Sit itaque*

### Sectio I. ad §. I. F. S. R.

N. 1. Præfatio quatuor non omnino paginarum præter §§. 2 & 3, ac duas, quas in disertatiuncula mea examinavi, Wiehrlii positiones, continet nihil, quod convitiis vacet; quanquam & hi, si juxta mentem auctoris, hoc est, ad ea, quæ sequuntur; attendendo accipiantur, neque hi sua bile carent.

N. 2. In paragrapho primo systematis philautici adversarios nigro admodum calculo lectoribus suis ob oculos ponit. *Qui animo, ait, non præoccupato & a par-*  
*tium*





zium studiis libero, ac non intimo ingenio præditi adversarias systematis philautici perlegit, invenerit.

a) Ferme omnes systema istud male intelligere & discriminis inter philautiam, amorem proprium ac commodum proprium oblivisci.

b) Omnes admodum timere sequelas systematis philautici, easque tamen ideales duntaxat, &, nisi in cerebro illorum, nullibi alias existentes.

c) Credere illos, humanitatem a philautiæ defensoribus prophanari, cuius honore per systema communis benevolentiae (uti adpellare mallent illud) defendendo, optime de ea se se merituos sperarent.

d) Quibusdam tamen animi æquitatis & acuminis esse tantum, ut perspiciant & palam etiam profiteantur, malas illas sequelas, quas finistrarum consequentiarum fabri ex philautiæ systemate cogere laborarent, mera esse phantasmata.

e) Hinc credere duntaxat, sine vi quadam priori inferenda sympathiam non posse in philautiam resolvi, omniaque phænomena moralia, si instinctus aut impulsus æque primarius admitteretur sympathia, esse commodius, melius ac facilius explicanda. Vid. Schediasma pag. 7. & 8.



N. 3. Juxta mentem igitur adverfarii partium fludii abrepti omnes, omnibus ingenium deest, qui perlectis fautorum systematis philautici cum sympathetico conjuncti scriptis sphalmata illa non observarunt tribus prioribus numeris §. præced- indicata, & præter hoc publice partim per literas, partim per scripta polixiosa, privatim denique etiam illorum sententiæ ad stipulantur? Viri in utraque republica Principes, Archiepiscopi, Episcopi, Doctores publici solidissimæ, doctrinæ fama inclyti??? Sed quinam illi, quæret forte larvatus meus Sacerdos ruricola, sicut p. 10 & 11. quæsit de iis, qui Cl. Federum male interpretati fuerint, quinam illi? — Legat tantum scripta contra- & pro Thefibus Wiehrlianis partim collecta, partim separatim edita, & quærere desinet. Cum viris ejusmodi vituperari a scriptore Lucifugo, quantæ non ducam laudi ego, tanto illis inferior? Ceterum per hujus lucubrationis decursum palam satis fiet, an sequelæ istæ non physice etiam existant, quas adverfarii systematis philautiæ illius patronis opponunt. Quæ ad finem hujus §. p. 8. conglomerat J. S. R. contra personam meam, ut lubens prætereo, sic æquus lector ad finem animadversionum mearum videbit, ea duntaxat animum atra bile infectum evomuisse.





## Sectio II. ad §. II. F. S. R.

N. 4. Jam propius §. 2. se accingit ad refutanda ea, quæ ego in dissertatiuncula mea aduersus duas Wiehrlii de philautia positiones aduerteram; atque sub ipsum exordium lectores suos edocet, quam ego laboraverim, causam Wiehrlianam pertrahere ad filum prædictæ dissertatiunculæ: hunc enim in finem, ait homo divinator, me pag. 94. ad §. 47. adposuisse notam hanc: *sobrie hic intelligi malim, quum ΦΙΛΑΥΤΙΑΣ, tanquam rationis, cur malum actionibus nostris finem non præstiuamus, mentionem feci.* Mirum profecto, ni Pythia Delphica arcanum hoc illi ex tripode revelaverit! Ut tamen lectori, cui dissertatiuncula ista ad manum non fuerit, sincere adperiam, quid me ad notam istam adponendam permoverit, breviter habeat. Quum istis paginis ad typum conscribendis occupabar, amicus quidam me invisens, & sequentia §. 47. verba forte legens: *Inimicus sibi met foret, & omnis ΦΙΛΑΥΤΙΑΣ expers, quisquis finem actionibus suis malum præstigeret, quem etiam ut malum cognovit &c.* Siccine, inquit, etiam cum Wiehrlio sentis? Rei ego, quæ ageretur, ignarus, ut condocerer eam, rogavi: hac comperta, ne suspicio quædam & in me cadere possit, notam adposui, eamque brevissimam; nec tamen ea omnem effugere suspensionem potui. Paginis enim istis jam typographo datis



de iisdem cum Wiehrlio sententiis suspectus accusabar. Quare viri cujusdam mihi cum primis venerandi hortatu notam istam, quantum l. c. videre est, ampliavi. Vid. dictæ dissert. epil. pag. 116, ubi jam tum hæc ipsa subobscurè indicavi. En igitur I. S. R. quod non laboraverim, causam Wiehrlianam ad filum dissertatiunculæ meæ vi pertrahere. Et quid, si laborassem? Causam, quam quis putat esse malam, nonne ad examen vocare liceat, immo conveniat quam maxime istis, qui ad docendum publice, adeoque ad præmuniendos adversus omnem erroneam opinionem candidatos suos, sunt destinati? Audiebam ego stupiditatis, ignorantia, &c. incusari facultates binas sacras in Academiis publicis, quarum unius & ego membrum sum: Et licuerit filuisse, ac ea, quæ pro tenuitate mea in subsidium veritatis potuissem, non proferre publice? Aut officium hoc exegit meum; aut verba ab J. S. R. p. 4. *in præfat.* prolata veritati hand sunt consentanea.

\* I. S. R. l. c. hæc habet: Sindet er dann (der rechtschaffene Mann) bei dieser Untersuchung die Beschuldigungen übereilt, und ungegründet; findet er das mit voller Ueberzeugung; dann ist es seine Pflicht mit dem Propheten zu sagen: ich will die Wahrheit verkündigen, und mir meinen Mund nicht verschließen lassen; Sieh Herr, das weiß du; dann ist es Pflicht seine Stimme zur Rettung der Wahrheit





heit, und zur Vertheidigung des Bruders gegen den Verläumder zu erheben.

\* *In corporum caelestium nullo, ait I. S. R. quisquam Philosophiae practicae Doctor existet, qui dissertationem hanc praedlectionibus publicis adcommodatam reperiet.* Grates agent I. S. R. omnes ii, qui tuentur, admodum probabile esse, planetas a viventibus ratione praeditis incoli; quum novam pro sententia sua confirmationem ex hoc istius loco, quo Philosophiae adeo Practicae Doctores illis inesse statuit, habeant. Ast ego, quamvis eandem sententiam praferam opposita, sancte tamen adfirmare possum, me nec conscripisse, nec conscripturum unquam dissertationem Philosophiae Practicae pro Candidatis in Jove, Saturno, aut alio corpore caelesti degentibus, multo minus pro eorum ibi Doctoribus: meam pro Candidatis meis Heidelbergae me auditoris ut scribere incepi, sic continuabo. Interim bellus mihi sit *Physicus, Astronomus, Cosmographus I. S. R.* Verum ab *indocto* quid expectaveris aliud?

N. 5. Pag. 95. dissertat. meae sequentia dixi: Legi omnino meretur Sphus citatus (§. 15. K. 3. 21. 1. *Untersuchungen über den menschlichen Willen*) Viri Clarissimi, (*Georgii Henrici Federi*) ex eo enim disparebunt plurima, quae *recentiores nonnulli*, ex male intellectis ipsius discursibus, aut neglecto veritatum, ab ipso plerumque pluribus in locis pertractatarum earundem nexu, eruere nonnunquam putant, orbique erudito ceu propriam eruditionis partem obtrudunt. I. S. Ruricola bene advertit, hoc loco indigitari ipsum D. Wiehrlum, ast ce-



teri recentiores quinam sint p. 10 & 11 sollicite & iterato quarit. Pag. 10. Wer, ait, aber die übrigen Recentiores sind, hat H. Z. weislich in petto behalten. Eadem pagina & sequenti pergit: Aber hätte doch H. Z. für gut gefunden, uns einige Leute zu nennen, welche die Unverschämtheit dahin getrieben hat, H. Federn eine andere Meinung anzudichten! Die Zurechtweisung würde auch mehr Nachdruck gehabt haben, wenn er die Trester vors Publikum hingestellt hätte &c. Quum paginas meas conferberem; dictum, ostensumque in scriptis mihi fuerat, controversiam hanc in terris Baadensibus & Spirensibus, immo Argentinam usque esse pervulgatissimam, neque opinabar in indocti cujusdam Sacerdotis ruricolæ manum istas perventuras; indocti enim alias circa literatorum dissidia parum anguntur. In gratiam igitur indocti hujus ruricolæ proferam illos in medium: Post Wiehrlum vix non omnes illius defensores, adfirmant, aut omnes, aut plurimas & inter eas etiam has Wiehrlii de philautia propositiones tanquam systemati cl. Federi conformes, aut omnino easdem esse, quas idem Clarissimus autor in seiner praktischen Philosophie defendit. Legat den aktenmäßigen Begriff P. D. C. F. Seuberti Baadensis Referendarii intimi p. 7. ubi in verbis hæc habet: Doch der Herr Bischoff erklärte nunmehr die philosophische Sätze, welche der Wiehrl zu einer Disputation

übung





übung seiner Schüler vor 6 Monaten aus Feders Lehrbuche gezogen hatte für anstößig 2c. & pag. 11. oftgedachte philosophische Sätze des Professors Wiehrl zu Baden, oder wenn man lieber will, des Professors Seder zu Göttingen. Videat etiam p. 12. Legat iudicium philosophico-theologicum Academiae Friburgensis, in cuius praefatione reperiet sequentia: Die unter dem 16ten März 1780. gedruckten Lehrsätze aus der praktischen Philosophie sind alle ohne Ausnahme, und zwar meistens von Wort zu Wort aus Feders Lehrbuche der praktischen Philosophie gezogen. Idem, sed latino tantum idiomate adfirmatur in ingressu vindictarum Iudicii philosophico-theologici Friburgensis. Hi autem omnes *recentiores* sunt; anno enim hoc 1781 evulgata sunt illorum scripta & iudicia. Salva igitur est adfertio, quod recentiores adfirmant, sententiam esse Federi, *φιλαυτιαν* esse fundamentalem elaterem animi unicum. Hisce perlectis & cum ratione ponderatis intelliget facile, bene me scripsisse verba illa: *quod vulgo illi (Federo) adscribitur.*

N. 6. Verum nodus iste Gordius, cui J. S. R. a pagina 10 usque ad paginam 18 implicando infudat, hac responsione necdum solutus est: ostendit enim ex ipsis Federi locis a me in dissertatione adductis, nec suæ,



nec aliorum secum sentientium causæ obesse, si etiam publice has Wiehrlii theses systemati Federiano conformes dixerint; quum ipse Federus *Sympathiam non admittat pro elatere fundamentali*. Audio, & audiar. Fide auctorum §. præced. allegatorum nixus (& quis Referendariis intimis, & integris Academiarum publicarum facultatibus fidem deneger, in negotio tam gravi, & cum publico tam studiose agitato?) (a) fide, inquam, horum virorum nixus, theses istas Wiehrlianas pro ipsissimis Federi sententiis obrudi orbi imperanti & literato, operæ pretium duxi, ut publice loca Federi allegarem, in quibus aut implicite contra systema philautiæ loquatur, aut aperte illud impugnet, sympathiam pariter tanquam stimulum fundamentalem admittendo. Nolui autem esse prolixior; quum indoctos, ut jam monui, has paginas esse lecturos, minime somniabam; quare cujusvis partem tantum eam adposui, quam directe hoc, quod intendebam, evincere putabam. Jam vero tam rustice provocatus adactum me video, ut singula uberius paulo adducam, ne ullus porro dubitationi locus remaneat.

Primus, quem p. 95 adduxi, locus desumptus est ex ejusdem auctoris *Untersuchungen über den menschlichen Willen* I. N. 3. K. 15. §. distinguit l. c. inter Philautiam, Amorem proprium & commodum proprium & postea





postea sic concludit: Dennoch ist man noch nicht be-  
rechtiget, die Selbstliebe für den alleinigen Grund-  
trieb des menschlichen Willens, oder auch nur aller  
freien und überlegten Handlungen anzugeben. Hier-  
zu sind noch mehrseitige und genauere Untersuchun-  
gen erforderlich. Alter, quem eadem pagina adduxi,  
locus est ex ejusdem Lehrbuche der praktischen Philosophie  
de anno 1776. (b) I. H. I. N. § 7. p. 14. & sic sonat:  
Wie vieles in den menschlichen Handlungen von der Selbst-  
liebe herrühre, pflegt eine der streitigsten Fragen in der  
praktischen Philosophie zu sein. Um dieselbe richtig zu  
beurtheilen, wird es nicht undienlich sein, genauer zu be-  
merken, in welchen Fällen man zu Folge des angegebenen  
Begriffes sagen könne, daß die Selbstliebe wirke.

Dies kann also gesagt werden:

1) Wenn die Vorstellung unseres Nutzens, oder un-  
seres Schadens uns bewegt, beide sein von welcher Art  
sie wollen.

2) Wenn die Empfindung oder Vorstellung des an-  
genehmen oder unangenehmen uns bestimmt.

3) Ueberhaupt wissen wir, daß Etwas bisweilen  
mittelbarer Weise, und nach entferntem, oft verborge-  
nem, aber doch reellem Zusammenhange, die Ursache von  
dem andern ist. Wenn ein solcher Zusammenhang auch



bei den Neigungen des menschlichen Herzens, den Begierden und Handlungen des Menschen Statt findet: so kann auch die Selbstliebe mittelbarer Weise, und auf eine verborgene Art manches wirken.

a) Fides virorum istorum suspecta mihi nunquam, sed sacra semper fuit: ast quid si imminuissent ipsimet apud publicum adfertionibus adeo falsis, allegationibus autorum, qui, nisi contrarium habuerint illius, quod intenditur, saltem non consentiunt cum illis. Veritas hæc quoad primum patebit ex dicendis paulo post, ubi ostendetur, Federum neutiquam esse ejusdem cum Wiehrlio de philautia sententia. Quoad alteram partem non sine indignatione legi Celeb. de Martini toties a D. D. Friburgensibus allegari, quasi ipsorum sententia suffragaretur; quum tamen nec fomniare hoc possit vir potestatem verborum intelligens. Videat orbis literatus, necesse est, quam mala fide egerint ii, ex quorum tamen gremio (ut fertur) ausi sunt quidam, Heidelbergenses & Argentinenses Theologos tam acerbè perfringere. p. 20. Judicii philosophici D. D. Friburgenses sic ajunt: Sie (die Selbstliebe) ist die erste und vorzüglichste unter allen den Neigungen, die man ihre innerste Natürlichkeit recht auszudrücken, conatus essentialis, inclinationes congenitas, instinctus intrinsecos, prima natura & intus monstrata nennt. de Martini Exercit. de L. N. §. 22. Jam vero citatus de Martini sus de verbo ad verbum sic sonat: Si tamen insuper experimur, cuncta animalia ad aliquid adipiscendum, aut propulsandum citra cogitationem sapissime stimulari: quemadmodum vehemens dilectio sui, sibi que similitum, nisus in pabulum & potum, vis repellendæ studium, fuga interitus, generis propagandi lubi-





Aubido, cura natorum, sempiternæ quietis impatientia, ac curiositas, aliaque hujusmodi fatis id comprobant; nemo utique negaverit, esse *propensiones quasdam animæ innatas ante omnem rerum usum*, quum ex iis potius usus proficiscatur; quæ porro sensum internum, dein cogitationem boni vel mali, & demum adpetitum vel averfationem progignant, quæque ideo conatus essentialia &c. adpellantur. Ubi hic vel verbulo mentionem facit, aut a longe tantum indigitat de Martini, philautiam esse stimulum aliquem fundamentalem? an non omnes æqualiter recenset, æqualiter conatus essentialia . . . . intus monstrata nominat? nec in omnibus aliis locis inter eos distinguit.

b) Studiose adposui annum editionis 1776; quum autor vindiciarum Judicii Philosophico-theologici Friburgensis afferat p. 39. collect. Carlsruhanæ, ipsum Wiehrlum videri hac ipsa editione (hæc est enim quarta) usum fuisse. Ob hanc ipsam rationem autem miror admodum, quare Vindicator iste adhibuerit Federi primas lineas discipl. philosoph. (*Grundriß der philosophischen Wissenschaften*) ut auctoris istius mentem palam ostenderet; quum tamen liber iste jam anno 1767 Coburgi lucem viderit, adeoque hac ipsa Philosophiæ Practicæ de anno 1776 editione novem annis antiquior sit. Nonne intra tempus hoc mutare auctorem suam potuit? Sed nunquid hic latet anguis in herba? detegemus brevi.

N. 7. Ex duobus istis locis evincere plus non volui, ac in primo cl. Federum jam indicasse, quod non pendeat, philautiam tanquam unicum stimulum fundamentalem admittere, & in altero determinasse casus illos seu actiones, quarum stimulus philautia est ultimus.




Consule diff. meam p. 97 & 98. sub fig. a). Jam vero quid ultra opus est præter *animum præconceptionibus liberum, ac iudicium non infirmum*, ut adverti possit hæc ipsa l. l. c. c. esse Federi sensa. Agnovit aliquo modo hoc ipse J. S. Ruricola pag. 12. in verbis: Da Herr Seder weiter nichts sagt, als: Es sei eine der strengsten Fragen, wie vieles in menschlichen Handlungen von der Selbstliebe herrühre; und dann einige Fälle bestimmt, in welchen man sagen könne, daß die Selbstliebe wirke. Ridiculum ergo est, quod indoctus Sacerdos ruricola capere non possit, qua de causa Federi loca a me allegata fuerint; quum tamen illud ipsum pag. 97 & 98 legere potuisset. Et magis adhuc rideri meretur, quum asserat, nullum contra philautiæ Patronos demonstrandi vim inesse locis istis: adsignatam enim a me inesse certissime, quivis præter indoctum S. R. perspexerit.

\* Clarissimus Federus non dicit, se aliquos tantum casus determinaturum, in quibus philautia stimulus foret ultimatus; attendatur præloquium ipsius, in quo dicit: ad quam (de philautia) quæstionem bene dijudicandam juvabit, *determinare accuratius, in quibus casibus juxta datam definitionem dici possit*, philautiam agere vid. N. 6. Nunquid cum fido interprete mihi res est?

N. 8. Adduxi postea p. 96 & 97 alium ex Federo locum, & quidem ex ejus Untersuchungen über den mensch-





menſchlichen Willen R. 3. S. 21. p. 104, ex quo oſtenſurus eram, verbis Federum expreſſis duos admittere ſtimulos originarios & fundamentales; aſt incomparabilis Wiehrlii deſenſor ait, in toto hoc loco nec verbulum occurrere, ex quo conjicere liceret, autorem hunc & alios adfirmare ſtimulos fundamentales. Quoniam igitur tam hebes fuit, ut ex verbis allegatis illud ne conjicere quidem potuerit, quod oculatus quivis perſpexerit, locum iſtum ex eodem paulo uberiores ſiſtam, forte capiet, l. c. p. 104. ſic inſcribitur §. 21. Ob Sympathie zur Selbſtliebe zu rechnen ſei? Quam quaſtionem poſtea ſic exponit: **Die Unterſcheidung der Sympathie, und der daraus entſpringenden Antriebe, ſcheinet einigen ungründlich und überflüſſig zu ſein. Wir können ja nichts anders empfinden, als Veränderungen unſeres Zuſtandes. Selbſtgefühle ſein alſo alle unſere Gefühle; und alle dadurch erweckte und auf Veränderungen derſelben abzielende Beſtrebungen des Willens ſein Bemühungen, Veränderungen in uns ſelbſt hervorzubringen, unſeren eigenen Zuſtand zu verbessern. Allein obgleich alle unſere Gewahrnehmungen und Gefühle alternächſt aus Veränderungen unſerer Selbſt entſpringen: ſo kann doch nicht geſagt werden, daß wir ſelbſt allemahl der Gegenſtand, unſers Willens und unſerer wirkſamen Triebe ſind.**

**Wann ich ein Kind am Feuer oder Waſſer ſinken ſehe: ſo**

**denke**



denke ich nicht an mich, weis nichts von mir, will nicht mir helfen, sondern dem Kinde, bin außer mir mit meinem Wissen, Wollen und Wirken. Dies ist gemeine auf richtiges Gefühl sich gründende Sprache. Das Gegentheil ist eine im Grunde unrichtige Subtilität. Capin jam, Federum præter philautiam & sympathiam admittere tanquam stimulum fundamentalem? Loco huic addat & alterum ex libro elementari Philosoph. Pract. (Lehrbuche der prakt. Philos.) I. H. IV. N. 34 S. p. 89. Allein bei allem dem ist es der zweckmäßigsten Unterscheidung nachtheilig, und könnte nur zu Mißverständnissen, und irrigen Folgerungen Anlas geben, wenn man die Sympathie nur als ein Stück oder eine Modifikation der Selbstliebe betrachten wollte. Und es scheint daher besser zu sein, wenn man von ihnen als von zweien Grundbestimmungen spricht. Demum omnem ambigendi locum sustulit ipse Clarissimus autor nuperrime in Aug. Ludov. Schloezeri Prof. Gætting. commercio liter. 46 Heft; dum aperte confitetur se non amplius philautiam tanquam unicum fundamentalem stimulum admittere. En verba ipsius l. c. p. 250. Es ist ein Satz — den ich ehemals auch für wahr hielt, aber bei meinen genaueren Untersuchungen über den Trieb der Sympathie ungegründet befunden, und für ungegründet in eben diesem angegriffenen Lehrbuche § 8, und § 34. aufs deutlich-





se erkläret habe: und noch ausführlicher in meinen Untersuchungen über den menschlichen Willen S. 16. u. folg. Quis nostrum magis aut minus intellexit Federum I.S.R.? Pudeat sexquipedalia verba projicere sine fundamento, quo nitantur: Orbi universo mentiri, ut tantum calumniari valeas. Quem nunc tangunt ea, quæ pag. 8. tui Schediasmatis effutiebas, scilicet: Daß Jeder, seit dem man unter dem Monde über Selbstliebe und Sympathie gedacht, und geschrieben hat, vielleicht noch von keinem Menschenverstande mehr mißverstanden worden ist, als von unserm Verfasser? Nunquid mansissies melius Cæciliane domi?

\* Quomodo hoc adfertum I. S. ruricola p. 14. subsistere possit cum alio p. 25. æquus lector dijudicet, utrumque adpono. p. 14. sic ait: daß in der ganzen Stelle kein Wort vorkömmt, woraus sich abnehmen liesse, daß H. Feder noch alios stimulos fundamentales behaupte. p. 25. de eodem loco sic habet: Man sieht freilich hieraus, daß Feder geneigt ist, die Sympathie als einen Mitgrundtrieb anzunehmen. Nunquid mendacem oportet esse memorem?

N. 9. Verum admissio etiam Federum ita sentire, necdum tamen sequitur, ita etiam se rem ipsam habere: Immo Federi argumentum plane non stringit quemvis, cui hominum animi paulo sunt perspectiores. Sic

porro




porro discurret eodem hoc §. I. S. R. ast quoniam infra ex professo agendum est, qualis huic loco vis inest, lectorem benevolam interea illuc differimus.

N. 10. Postulor etiam ad rationem publico reddendam p. 11. *Sched.*, quando dixerit, Wiehrlius, aut, unde intelligeretur, præbuerit, positionem suam, qua asserat, philautiam esse unicum fundamentalem hominis stimulum, esse doctrinam D. Federi? Legat Ingressum Judicii Philosophici Acad. Friburg. reperiet hæc ibidem p. 17. *Collect.* Carlsruh. die unter dem 16 März 1780 zu Baden gedruckten Lehrsätze aus der praktischen Philosophie sind alle ohne Ausnahme, und zwar meistens von Wort zu Wort aus Feders Lehrbuche der praktischen Philosophie gezogen. Zum Beweise hat man in dem eingeschickten Exemplar jedem Satze den gleichlautenden Paragraph des Federschen Lehrbuchs beigesezet. Nonne hoc Patronis suis, ut facerent, subministraverit Wiehrlius? nonne Confirmari in hac conjectura possumus, quod vix non omnes Wiehrlii defensores, mentem illius declaraturi, exposituri, adferant, has positiones esse conformes cum doctrina Federi, auctoris in Lyceo Badensi Scholastici?

N. 11. Etiam de Cl. Augustino Eberhard mentionem quamdam facit; sed quoniam ipsemet aliis in  
locis





locis de eo se plura locuturum adserit, commodius etiam tunc respondebimus.

*Sectio III. ad §. III. J. S. R.*

N. 12. Multa sunt, quæ J. S. R. in hoc § a p. 18. ad 25. mihi objicit; [plura tamen convicia, quam veras objectiones reperies, ad quæ iterum cum Cicerone superius ad §. 24. citato sentio. Quam de Cl. Ganther Theologiæ dogmaticæ Bruchsal. Prof. censuram fert, pag. 19, eam, quia potius ad § sequentem pertinet, etiam ibidem examinabo. Jam vero cetera, quæ responsione quadam digna videbuntur, breviter perstringam?

N. 13. Nisi ipsemet se indoctum sacerdotem ruricolam nominasset; indignarer profecto homini ne primis quidem elegantioris latinitatis elementis tincto: at commiserationem meretur potius; & quum ignorantes docere opus sit misericordiæ, ut locutionem istam: *Convulsam ibat, & convulsit* p. 99. dissert. meæ intelligere possit, regulam ex libro elementari Ling. Lat. Herbipol. (Lateinische Sprachkunst von Würzburg) hic adseribo, alia forsitan vice docturus plura. Regula ist. hac l. c. p. 296. §. 289. talis est: Das deutsche *Wollen* und *Werden* wird zierlich mit eo, sammt dem supino gegeben. Z. B. *Cur te is perditum? Contumelias ul-*



tum ibat. *Libertatem suam defensum ibant. Consultum  
ibo amicos.* Nunquid majori jure hic ego, si calamus  
mihi adeo rusticus, ac tibi foret, regerere tibi possem  
illud de trivio barbarum, quod tu ne bene quidem p.  
60. tui schediasmatis mihi adiatrabas? scilicet

A. B. C. Dintensaß

Geh in d'Schul', und lern' was?? Verum absint ejus-  
modi. Sc..... a me.

N. 14. Mirari me p. 98. meæ dissertat. dixi, D.  
Wiehrlium adduci potuisse, ut contra Federum, auto-  
rem scholasticum suas de philautia positiones statueret:  
rationem etiam dedi; quia de Professore præsumendum  
graviter esset, non tumultuarie ad docendi munus ac-  
cessisse eum, non temere elegisse autorem, sed singula  
prius in illo meditata, nexumque ac ordinem fuisse  
perscrutatum. Ast me hoc ex rationibus adductis mi-  
ratum fuisse, indignatur vir bonus admodum. Com-  
ponat interim paulisper animum, brevi indignatio in  
pudorem, spero abibit.

\* Quidam ille p- 22. Indicatus post examen jussu fu-  
premo decretum & D. D. Commissariorum judicio satis bene  
præstitum Professuram suam, quantum ego scio, adiit.

N. 15. Nec parum offenditur, quod institerim  
interrogando contra D. Wiehrlium, an autoritatibus per-

motus





mōtus contra autoris sui rationes statuerit: vel maxime autem me vituperat, quod petierim, num forte Zeno, Epicurus, Spinosa, Hobbefius (a) &c. sint fontes, unde hauserit; atque id eo duntaxat præstitum a me fuiffe, quo facilius orthodoxiam D. Wiehrlii, suspectam redderem. Verum in tota dissertatiuncula non reperiet locum, unde hoc fit evicturus. Provoco eum audacter, ut, si vir honestus fit, illud mihi ostendat. Adposito signo (b) nonne declaravi fatis me illos non putare fontes unicos? (b) nonne adversarii fuisset propterea ostendere alios? at enim ostendit: *rationem* scilicet & *experientiam*? fontem admitto utrumque; sed vereor, ne ex turbido hauserit. (c) Res brevi §§is sequentibus patebit.

a) Quanti facienda sit animadversio J. S. R. pag. 24. Daß man übrigens aus einem Zeno, Hobbes u. mehr Wahrheit schöpfen könne, als aus manchem Duzend unserer Orthodoxen Folianten? Das zu wissen wollen wir ihm nicht zumuthen, aliis relinquo. Juxta principia enim mea liber orthodoxus est ille, qui doctrinam puram, verbo Dei & sanae rationi conformem pertractat, & de ejusmodi adsertum J. S. R. judicio sane mitissimo, inter deliria spiritu contradictionis nimium æstuanti exorta referre debeo. Ceterum quid allegatus ex Epicuro locus p. 100. diff. mea cum fratre Gerundio commune habeat, perspicillo opus erit adversarii mei, ut videam. Professor enim Rhetorices dum fueram; legi sæpius, & ni vehementer fallar, loca repe-



rere licet admodum similia iis ab adversario hinc inde ad-  
ductis. Forte utitur eo ad componendos pro suis municipi-  
bus sermones sacros?

b) Et alios profecto autores nominare potuissim phil-  
lautici systematis patronos; nec tamen eadem confusione  
inter se permiscuissim, sicut autor epistolæ ad amicum  
(Schreiben an einen Freund) p. 5. in verbis: Der Ba-  
bische Lehrer der Weltweisheit ist nicht der erste, welcher  
die Selbstliebe als den einzigen Grundtrieb des menschl-  
ichen Herzens aufstellt. Wenn die guten Leute die Schrif-  
ten eines Home, Hutchesons, Ferguson's, Schmitts,  
Serachs, und anderer mehr gelesen, oder wenn sie wüß-  
ten, daß solche Männer in der Welt gelebet hätten, oder  
noch leben, wenn sie die Geschichte eines Brufers aufge-  
schlagen, so würde ihnen die Sache gewiß nicht so ganz  
neu aufgefallen sein. Hac enim citatione indocti facile in  
errorem possent induci, quasi autores isti omnes essent pa-  
troni systematis philautici, quod tamen perquam falsum  
est. Videantur allegati autores ipsimet, & ea, quæ paulo  
inferius ex iis adducentur. Ceterum vix Typotheta in se  
recipiet sphalmata illa, quæ autor in duobus ultimis hic  
allegatis scriptoribus orbi carpenda reliquit. Non enim  
Schmitt, sed Smith vocatur Anglus ille, qui theoriam mor-  
ralium sensationum conscripsit (Theorie der moralischen  
Empfindungen) vid. versio in Germanic. Brunsvici 1770.  
in lucem data: nec Serach, sed Eduardus Search autor est  
Luminis naturæ (Licht der Natur) vid. versio germ. a Po-  
lycarpa Erxlebenio 1781. Götting. & Gothe publicata. Quis  
credat, virum hunc autores istos ad manum habuisse? Pru-  
dens certe suspicio cadere in illum posset, sic collectos forte  
in alio quodam autore mendose impresso reperisse eum?

c) Ut





c) Ut experientiam in rebus philosophicis admittendam esse mihi persuadeat, adducit sequentem ex *Bernhardo Grant* Prof. Erford. locum J. S. R. *Solgerungen, die unmit- telbar aus Erfahrungen fließen, sind wahr, sie mö- gen Meinungen gegen sich haben, wie, und von wem sie wollen.* An & hic ad manum habuit autorem? meus, quem, ego habeo, sic inscribitur: *P. Erbaridi Grant, O. S. B. Elementa Philosophiæ prolixius explicata Sc. Erfordiæ typis & sumptibus Henr. Rudol. Nonnii, Ac. Typ. An. MDCCXXII.* An forte P. istud solitarium putavit ad no- men ipsum pertinere, ac propterea tanquam errorem calami in B mutavit? fallebatur vir bonus; illud P. enim vice *Patris* positum est. Sed Heus tu, qui mihi tam grandi supercilio p. 60. & 65. objicis, omne meum refugium esse in antiquatis autoribus (*Schunken & Scharteken* adpellare voluit) redde rationem criminationis tuæ. Autores alle- gavi *Wiehrlio* p. 116. dissert. meæ aliquos videlicet: *Roy- sum* de anno 1761. *Viennæ Austr. Schwarzianum* de ann. 1765. *Heidelb. Schwarzhueberum* de ann. 1768. *Augustæ Vind. & Oenipont. Stattlerum* de anno 1773. *Ingolstadii.* Nominare & alios potuiffem, uti jam videris & porro videbis. Omnes isti multis annis tuo Grant recentiores sunt, & tu antiqua- tos adpellabis? nunquid huc pertineret tuum in fine *Schediasmatis: Ohe! jam satis est?* optares forte tu; quia lu- cem ferre nequis.

#### S. IV ad § IV I. S. R.

N. 16. Jam ad ipsam quæstionem devenio, cujus causa paginas ab adversario impugnatas conscripsi. Quo- niam vero iste plura inter se commiscet; consultius erit,



adcurate prius statum quaestionis figere, & quid circa illum statuendum sit, ex ipsius Philosophiæ principiiis repetere: postea locus etiam erit respondendi ad ea quibus aut impugnare tentat, aut effugere vim argumentorum a me in dissert. mea adlatorum.

N. 17. Ac primo quidem ante oculos habenda semper est D. Wiehrlii propositio, quæ controversiam hanc resuscitavit; est autem illa inter alias die 16ta Martii Badenæ evulgatas Philosophiæ Practicæ positiones duodecima: *Selbsiliebe ist der einzige ursprüngliche Grundtrieb des Menschen. Seu: Philautia est unicus fundamentalis animi humani elater, stimulus, impulsus.* Ad sensum propositionis hujusce rite intelligendum, confundenda nequaquam sunt *Philautia, amor proprius, & commodum proprium.* Adcuratius ut equidem existimo, præ aliis discrevit tria hæc Cl. Federus in seiner praktischen Philosophie, tum in seinen Untersuchungen über den menschlichen Willen. Juxta hunc *Philautia* nihil aliud est, nisi *propriam felicitatem promovendi conatus*, & merito: quemadmodum enim proximi felicitatem promovendi conatus bene dicitur *amor proximi*; sic pariter propriam felicitatem promovendi conatus, *philautia* adpellari potest. *Philautia* hoc modo definita etiam *amor sui ordinatus* vocari non incommode potest. Amor enim nostri ipsorum quando inordinatus est, aut *in amorem proprium*,  
aut





aut in *proprii commodi studium* degenerat. Prior est: *immoderata de se, suisque actionibus existimatio*: & posterius, *nimius, communicque felicitati noxius, utilitates suas promovendi conatus*.

N. 18. Ad omnem ambiguitatem devitandam, quid per *sympathiam* intelligant Philosophi, præfigendum est. Est autem illa *naturæ nostræ proprietas, vi cuius subiecti a nobis distincti adfectiones etiam nostræ sunt*: five *vi cuius ex adfectionibus alterius quasi ex nostris adfici-mur*. Sympathia igitur isthæ tam ad jucundas, quam ad molestas sensationes & adfectiones sese exporrigit. Vid. Feder. l. l. c. c. & Adamus Smith in der Theorie der moralischen Empfindungen.

N. 19. Impulsum, stimulum, elaterem, motivum alii definiunt, quod sit *inritus voluptatis aut tædii*, alii *volitionis, nolitionisque causam impulsivam* vocant. Vid. Dissert. I. §. 34. & §. 47. præsertim autem Cl. Baumgartenii *Metaph.* §. 690. & sequentibus. Verbis quidem, non autem re ipsa hæ definitiones differunt. Hi ergo stimuli, elateres, impulsus, motiva actiones præcedere debent; quum impellant nos, ut actionem aut velimus, aut nolimus.

N. 20. Elaterum ejusmodi duplex est classis: *Primitivi* alii, *originarii, fundamentales*; alii vero *derivativi*



nuncupantur. *Primitivi elateres* (Grundtriebe, Stammtriebe) sunt fontes, unde alii elateres ortum ducunt, ipsi vero non oriuntur ex alio. *Derivativi* (abgeleitete Triebe) oriuntur ex primitivis. Quando ergo quæritur, an philautia sit unicus fundamentalis, originarius, primitivus actionum humanarum stimulus; hujus quæstionis sensus alius esse nequit, nisi sequens: *An omnes alii actionum humanarum stimuli ex philautia orientur, rivuli sint ex uno hoc fonte promanantes, ipsa vero philautia non nascatur ex alio quodam elatere, sed ab ipsa natura nobis sit congenita.*

*Scholion. I.* Controversia omnino nulla est in causa præsentis circa quæstionem, an philautia *aliquis* sit ex elateribus primitivis, sed tantum, an sit *unicus*. Prius & defensores & antagonisti D. Wiehrlii adfirmant unanimes: posterius uti D. Wiehrlius in thesibus suis Badenæ evulgatis asseruit; sic fautores ipsius omni, quo valent, robore defendunt, contradicentibus illius impugnatoribus.

*Scholion. II.* Philosophorum alii solam philautiam, alii sympathiam solam, alii denique utramque ad stimulos primitivos referebant; legantur citati jam supra *Eduardus Searchus, Hutchesonius, Smithius, Ferguson: Federus &c.*

N. 21. Ad quæstionem hanc: *an Philautia sit unicus primitivus humanarum actionum elater*, adcuratius expendendam, acumine opus est. Arcissimus enim philautiam inter & Sympathiam nexus intercedit: inde facile accidit, ut actiones, quarum alia fons est unicus,





ex alia profluxisse putentur. Quodsi tamen animum advertamus ad ea, quæ paulo ante de stimulis dicta sunt, quæque nullus inficiari potest; *philautia*, si stimulus illa primitivus fuerit unicus actionum humanarum, impellere sive immediate, sive mediate saltem ad omnes illas debet, adeoque etiam præcedere. Si ergo actiones demur humanae, ad quas nec immediate, nec mediate philautia impellit; tunc cum veritate affirmari non potest, eam esse unicum ac fundamentalem animi claterem. Huic veritati nec ipsi adversarii refragabuntur: vel ipsis enim principiis ontologicis nititur. Dari autem actiones ejusmodi, tantum ii non vident, qui generalissimas notiones & veritatis demonstrandæ fundamenta ac experientiam ipsam ignorant, aut ex amore forte proprio ignorare in votis habent, ac propterea simulant. Age, videamus.

N. 22. Illud, quod me impellit tanquam aliquid prævium ad actionem ipsam aut ponendam, aut omittendam, illud aut *distincte*, aut *confuse* saltem ante eam cognosci debet. Quod enim ab intellectu nullo modo cognoscitur, nec ullo modo inclinare voluntatem potest. Quare si felicitatis nostræ promotio impulsura sit ad actionem aliquam, illa felicitas ex actione ejusmodi nobis resultatura non potest non a nobis aut *distincte* aut *confuse* saltem cognosci. Quum vero distincta rei cognitio tantum ea sit, quæ tum notas rei ipsas (Merkmale,



Kennzeichen) tum illarum rursus notas menti præsentibus sistat; tam audaces non erunt adversarii, ut hanc felicitatis nostræ promotionem, ex ejusmodi actione aut ponenda, aut omittenda resultaturam nobis, *distincte semper* cognosci ab acturis adfirmant: *Inverdum* enim & hoc fieri, nos consentientes habent. Restat igitur, ut ostendam, nec *confuse semper* hanc ipsam felicitatem a nobis cognosci. Non incongrue adlegatum in dissert. impugnata exemplum ex Federi Untersuchungen über den menschlichen Willen S. 21. pag. 104. hoc loco repetitur: Wann ich ein Kind am Feuer oder Wasser sinken sehe: so denke ich nicht an mich, *weis nichts von mir*, will nicht mir helfen, sondern dem Kinde, bin auffer mir mit meinem Wissen, Wollen, und Wirken, (a) His exemplis addi plura possent, in quibus nostri prorsus immemores aliis benevoli sumus, illorum malis, ac bonis æque, ac nostris adficimur. Sic pauperculo tempore hyemis nudo, infirmoque, repente nobis obviam facto, stipem elargimur non ut profit nobis, sed ut malum illius leniamus. Sic aliorum subinde commodis lætatur, quin ulla felicitatis nostræ perficiendæ idea præluceat. Immo dantur subinde casus, in quibus philautia stimulare potius ad actionem omittendam, quam committendam eam: Inter istos, ut jam in dissert. impugnata monui, recenseri merito potest ille, in quo

Infan-





Infantem igni aut aquæ illabentem, subito video, moveor, adcurro, libero, mei ipsius oblitus: Re postmodum bene peracta meditor periculum, cui memet exposueram vitæ propriæ & aternæ forsitan felicitatis amittendæ, agnosco, profiteor, me si hoc periculum cognovissem antea, nunquam adigi potuisse ad tentandum illustre, benevolum ejusmodi facinus. In omnibus hisce casibus abest omnis *in nos ipsos* intuitus, adeoque & propriæ felicitatis promovendæ conatus, seu philautia; & quomodo tamen ista harum actionum sit stimulus vel immediate, vel mediate? Certum igitur est homines non ad singulas actiones a philautia impelli; non igitur unicus primitivus humanarum actionum elater est.

a) Ingenium rursus J. S. R. candorem ac sincerum in adlegando animum lectorum ut sistam admirationi æquitas postulat. Verba ex Cl. Federo supra recitata ille sic refert p. 25. Wenn ich ze, so denke ich nicht an mich... will nicht mir selbst, sondern dem Kinde helfen, bin auffer mir mit ... meinem Wollen und Wirken. Quare autem verba ista: *weis nichts von mir, mit meinem Wissen* omisit? An sensit forte, æque premi se ex istis, ac pressum se sensit in iis, quæ p. 102. contra D. Wiehrlum argumentatus sum ex ipsa stimulorum natura, quod actionem ipsam præcedere debeant, quæ propterea etiam tacite est prætergressus?

\* Et aliud hoc §. p. 29. sinceritatis suæ specimen exhibet. A partibus etiam suis stare ait Virum ex integra nobis.



nobilem de Dalberg, cujus etiam autoritate in fronte sui schediasmatis abusus est. Seriumne? an legit illustr. autoris meditationes in Univerſum? (Betrachtungen über das Univerſum) dubito admodum; p. 54. enim reperiffet alias hæc verba: Hang zur Geſelligkeit iſt Grundtrieb der Seele, Abtraktion der Geiſterwelt: perpexiffet illustr. autorem non eſſe in eo, ut litem de philautia & Sympathia dirimeret, ſed tantum adniti, ut ſimilitudinem & aſſimilationem pro fundamento naturæ evinceret. Hem adcutum adlegatorem!

N. 23. Verum homo ſubtilis p. 27. contra hæcenus dicta obmovet ea, quæ Joann. Chriſtian. Loſſius in ſeiner neueſten Philoſophiſchen Literatur ad commendandam philautiæ univerſalitatẽ 3. Stück pag. 35. contra exemplum Federianum congeſſit. Conſiſtunt autem breviter in ſequentibus: confuſam officiorum repræſentationem, remorſus conſcientiæ in tali caſu innocenti auxilium non adferentem, inſecuturos, aut jucundam ejusmodi facti memoriam obſcuro quodam modo ſemper cooperari; quæ omnia vivaciter olim a nobis cogitata eſſe poſſent, & modo vim ſuam tantum in effectu oſtendere. Aſt unde ejusmodi confuſa repræſentatio in aïs, qui necdum diſtincte cogitare didicerunt, vel ſaltem de ejusmodi officio, remorſibus, jucunda recordatione diſtincte cogitarunt nunquam, aut nonne iſti ſtimulum in ſe habent ſuccurrendi aliis? nonne literis  
publi-






publicis testibus pueri, puellæque ad distincte cogitandum necdum maturi, mutuas sibi suppetias tulere? quo isti impulsivi modo, stimulo? Deinde in subitis ejusmodi casibus periculum extremum moras non concedit, cogitandi diu de officiis, conscientia remorsibus, aut jucunda facti memoria, presentissimum postulat auxilium: & harmonia illa impressa cordibus nostris facit, ut nostri ipsorum inscii prorsus ad præstandum illud adolemus. Subtilia effugia sunt, queis philantia patroni externe saltim suum defendere systema adlaborent; quamvis ex sensu forte intimo convicti omnino sunt aliter. Bina ego vice casui ejusmodi aderam, & bina vice illapsum aquis extraxi; nec memini tamen, me ulla tum cogitatione præter eam, qua succurrere, liberare alium laborarem, fuisse occupatum. Bene hic ipse Lossius l. c. (*quare hoc iterum omisit J. S. R.?*) Das gelindeste ait, was man ohne unrichtige Subtilität wird sagen können, ist dieses, daß ein jeder von sich selbst nur wissen kann, ob er aus solcher reinen Theilnehmung (ohne Selbstliebe) gehandelt hat, oder nicht. Et alia prostant argumenta, quibus, si forte dubium circa ejusmodi subtilitates quoddam remanserit, prorsus evanescet.

N. 24. Creatus est homo a Deo, ut esset pars non otiosa hujus universi, sed pro facultate virium suarum

ad



ad ipsius totius perfectionem promovendam conlaboraret. Nisi ergo sanctissimis suis decretis in casibus particularibus contraveniri maluerit, necessum fuit, ut stimulos etiam inderet homini, quibus naturaliter adliceretur, ad commune hocce bonum, communem felicitatem promovendam, Quis enim, si naturæ stimulus tantum foret philautia, quis, inquam, succurreret afflicto, erigeret lapsum, foveret debilem, in casibus iis, ubi, quid suæ philautiæ inde proveniret, non cognosceret? meditabundus igitur in subitis periculis hærebit, dispecturus antea, num auxilium hocce misero præstandum conferat quidpiam ad suam felicitatem? Et interea peribit miser. Verum est quidem ob arctissimum nexum confundi facile stimulum unum cum altero, ac quod sympathiæ adscribendum foret, adtribui philautiæ; ast propterea necdum sequitur, ipsam sympathiam e numero primitivorum stimulorum naturalium expungendam. Eleganter exprimi potest paritate quadam a gravitate corporum ducta, quando & quomodo sympathia in nobis semper adsit, agatque; licet externe non sentiat. Quemadmodum universalis efficacia legis gravitatis semper eo tendit, ut corpora sibi propiora efficiat; sic etiam lex universalis sympathiæ hoc sibi propositum habet, ut homines ad exercitium actionum universaliter utilium, & ad abstinendum ab actionibus





universaliter nocivis suaviter inclinentur. Et quemadmodum gravia non tendunt semper deorsum, sic & homo sympatheticus non semper universo benevole agit, operatur. Cadunt corpora; & vis gravitatis accelerat motum: sustentantur, & quiescunt; premit illa vis; jaciuntur in altum; motum ista retardat: sic sympathiæ stimulus jam benevolentiam promovet, jam nocendi cupiditatem retinet: in actionibus benevolis auget fervorem, ardorem minuit in noxiis: jam voluptatem, jam tædium progenerat.

II. Magnum etiam robur hoc argumentum habet, quod in subsidium veritatis ex ipsis sacris literis Philosophus Christianus non potest non venerari. *Joannis 13. cap. 34. vers. Mandatum datur nobis, ut diligamus invicem sicut dilexit nos ipse Deus.* & *Math. 22. cap. 39. vers. alterum in lege mandatum esse dicitur, ut diligamus proximum, sicut nos metipsos.* Deus sibi ipsi plene sufficientissimus amore benevolentia fertur in genus humanum prorsus, ut ajunt, desinteressato; & quidem vi infinitæ suæ essentia ex supposito, quod creavit homines, infinite erga illos benevolus esse debet. Confectarium igitur est, nos obstringi pariter ad amorem proximo prorsus desinteressatum exhibendum. Amor autem desinteressatus tantum juxta ontologica prin-



principia ille esse potest, quo in nullam sui ipsius utilitatem respicit amans. Utilitatem autem quis nescit esse duplicem, scilicet spiritualem alteram, alteram corpoream, sicut voluptas vel spiritualis est vel corporea? Divitiarum, fortunarum & his similia corpoream absolvunt utilitatem: gaudia spiritus, animi voluptates, quies, suavis bene actorum memoria utilitates sunt spirituales. Quodsi igitur proximum nostrum amare tenemur amore prorsus indifferente, nullatenus erga quantavis five corpoream, five spiritualem utilitatem adfici, nullatenus alterutram pro meta habeamus oportet. Quum autem illud, quod pro meta habemus, ad actionem ipsam moveat, causa sit impulsiva volitionis aut nolitionis; omnis vero causa impulsiva volitionis aut nolitionis juxta superius dicta motivum, elater, stimulus, impulsus dicendas sit; patet hujus amoris disinteressati stimulum nequaquam esse posse philautiam; quum illa semper ad propriam felicitatem adeoque utilitatem vel spiritualem, vel corpoream promovendam tendat. *Vid. data supra de philautia definitio & divisio. (\*)* — Amore disinteressato Deus amat genus humanum ex natura sua. Duplicem enim duntaxat amorem in Deo distinguere possumus, *immanentem* videlicet, & *transientem*. Quo se ipsum amat, *immanens*; quo genus humanum amat, amor ille vocatur *transiens*;






Uterque ipsi vi essentiae competit. Quum igitur homo factus sit ad similitudinem aliquam & imaginem Dei, idem duplex amor sui videlicet ipsius, & aliorum vi etiam naturae competere illi debet, adeoque etiam stimulis impelli debet ad utrumque naturalibus: falsum itaque est, unicum naturalem primitivum stimulum esse ipsam philautiam.

\* Facile negotio ex supra dictis eruere licet, philautiam ipsam, si unicus foret humanarum actionum elater, in commodum proprium degenerare posse.

\*\* Quae alii pro systemate philautiae ex verbo *adpetere* eruere putant, ex male intellecta verbi acceptione provenit. Adpetimus nobis? bona esse debent felicitati inservientia propria. Adpetimus aliis? bona esse debent felicitati inservientia aliorum. Ad prius philautia, ad posterius stimulat sympathia.

\*\*\* Cum autoritatibus pugnare, mihi nequaquam mens est. Ut tamen Domini isti tam alti supercilii videant, Heidelbergenses Professores etiam scire, & nequaquam necessum habere, ut ex Bruckero addiscant; quinam systematis sympathetici *vel tantum, vel simul cum philautia conjuncti* patroni sint, legant praeter antiquos Ecclesiae Patres Radulphum Cudworthum, Henricum Morenum, Joannem Smithium, Hutchesonium, Adamum Smithium, Fergusonium, & alios.

\*\*\*\* Quae de amore patriae ac Antipathia paginis 34 & 35. garrat J. R. S., nec responsione digna forent; nisi iterum bene de indocto mereri philosophi foret. Antipathia sympathiae filia est. Legat desuper non satis laudandi Federi Untersuchungen über den menschlichen Willen I. B. I. N. 3. K. 21. S. p. 104. 105. Amor patriae pro ipsa  
sua



fua varietate ex variis oriri fontibus potest. Legat ejusdem autoris 2. B. 2. A. 2. Abth. 5. Kap. §. 82. p. 338. u.

\*\*\*\*\* De Clarissimo Ganther hac sectione me locutum sponendi, & hisce satisfactorum sancte adsevero, quod J. S. R. prater solenne suum *αυτος ε̄φα* nec hilum adferat, quo infringere illius autoritatem valeat. Pronuntiat equidem, illum non satis hinc inde distinxisse inter philautiam & commodi proprii studium; ast nec verbulo ostendit essati sui veritatem; forte ostendet, dum iteratam bilem evomet? Avide exspecto, & interim hanc e cathedra sententiam nauci habeo, usque dum argumentum primum n. 24, quod vix non idem est cum eo, quo D. Ganther in seiner Sympathie und Selbstliebe utitur & alia ab eo adducta, nullius esse roboris ostenderit.

\*\*\*\*\* Quod p. 40. ex mea dissertatiuncula p. 103. adlegat, & scurrili sarcasmo eludere tentat, crucem forte graviolem figet, si hoc ipso numero paulo fusius deductum viderit. Miserandum profecto, quod indocti sine ambagibus capere nolunt!

### *Sectio V. ad §. V. J. S. R.*

N. 25. In hoc §. carpit imprimis, quod ad sensum communem provocaverim p. 103. dissert. mea, quo omnes quaestuosum adeo benefactorem (ex sola agentem philautia) vilipenderent; ac propterea exularet gratitudo, indebita utpote homini, qui non alienam utilitatem, sed propriam animi, aut corporis voluptatem aut fatietatem pro fine actionum suarum habuerit. Postea alium omnino esse sensum communem evicturus est ex





eo, quod nemo grates acturus pro beneficio accepto propterea respuat talem, quia testetur, *volupe sibi fuisse, quod inservire nobis potuisset, & voluptatem hanc unicum sibi premium reputare* (Es sei ihm ein Vergnügen gewesen, uns zu dienen, und dieß Vergnügen sei die einzige Belohnung für ihn) Risum teneatis amici! Signa urbanitatis, sæpius nec serio quidem prolata pro rationibus philosophicis adfert homo sagax. Mirum, ni ad mundum muliebrem omnem suæ philosophiæ suppellestem & omnes doctrices suas habuerit! — Vir ejusmodi tantum intendit, molesto gratiarum referendarum onere liberare clientem suum; & plus ex adlegatis non evincet. Ostendat plus aliquid sequi, & vicerit. Ceterum ut capiat quod sine philautia benefaciens pluris fit faciendus, ac alter, qui bona aliis tantum suæ voluptatis gratia exhibet, legat *Hurchesonii Untersuchung über die Tugend N. 1. & 2, & Adamum Smith, qui adlegat priorem in Theorie der Moralischen Empfindungen. 5. Th. 3. S. p. 484. & sequentibus.*

\* Quare iterum tam altum filet, quæ p. 103. ex *Cl. Schottio in dissert. Prim. Lin. Phil. Mor. §. 52.* adtuli? nunquid fastidivit? Legat etiam, si placuerit, ejusdem auctoris *Prim. Lin. Phil. Pract. Univers. a §. 31.*



*Sectio VI. ad §. VI. J. S. R.*

N. 26. Quæ hoc paragrapho congerit ad probandum, philautiam pro norma moralitatis prima statui posse, speciatim infra, ubi ex professo agendum erit de principio Wolfiano, discutiemus. Interim tantum hoc adverto, me nunquam iurasse in Verba aut sententias Celeberr. D. Wedekind, adeoque perperam illum ab indocto S. R. p. 44. contra me adduci. Ceterum ex supra jam dictis facile intelliget prudens Lector philautiam, ut ut ordinatam, non posse esse normam indefectibilem, nec primam, qualem tamen, ubi de norma locutus sum, esse eam debere, satis ostendi; ad quæ etiam interea remitto.

*Sectio VII. ad §. VII. J. S. R.*

N. 27. Jam totus est in eo, ut a p. 33. usque ad p. 64. ostendat, male a me carpi propositionem inter Wiehrlianas XXXIV, quam sic statuit: *Nus vernünftigen Begriffen von Gott erhellet, daß Ehrfurcht, Liebe, Dankbarkeit, Anbethung und Vertrauen auf Gott, die unmittelbarsten Folgen der Selbstliebe sind. Age, videamus, an bene carpat. Hæc propositio latino sermone sic exprimitur: Ex genuinis de Deo conceptibus adparet, Reverentiam, Amorem, gratitudinem, adorationem, & fiduciam in Deum immediatissimas esse philautiæ sequelas,*  
*feu,*





*feu, si mavis, consequentias.* Quoniam vero displicere ea, quæ ex Stattlero adtuleram, eaque nec refutatione fuerit dignatus; jam fatis coram publico essem justificatus sapienti: Constat enim abunde, quid genus ejusmodi adversariorum, de calumniatorum grege prognatum, sua existimet refutatione indignum. Ne tamen plane nihil dicam; ad sequentia paulo adcuratius attendat, velim.

a) Unum ex altero *immediate sequitur*, quando cum altero ita connexum est, ut illo aut concepto, aut posito, hoc quoque aut concipi, aut poni debeat; quin aliquid aliud intercedat, ex quo utriusque inter se nexus sit perspicendus: *immediatissime* vero sequi quid significet, prorsus ego non video: nisi dixeris, uno posito alterum ita *immediate* pariter poni debere, ut nec medium vel cogitare liceat, aut possit. Verum hoc ipsum jam vocabulum *immediate* hactenus inter Philosophos indicavit fatis. Quanquam transeat & iste error vocabuli una cum ceteris. Videamus tantum num ex genuino Dei conceptu adpareat, illius reverentiam, amorem, gratitudinem, adorationem & fiduciam esse *immediatissimas* philautiæ sequelas. Ad hoc autem plenius intelligendum requiritur, ut definitiones imprimis præfigamus, quid per virtutum harum singulas Philosophi intelligant.



b) *Reverentia* prout Deo debetur, est: *Sollicitudo*, fugiendi eas actiones, quas ejus perfectionibus contrarias esse novimus, & quacunque data occasione, venerationem, ob majestatem suam ipsi debitam exhibendi: coincidit conceptus hic cum eo, quem Cl. Federus in seiner Moral. I. Th. III. H. §. 31. tradit.

c) *Gratitudo*, est dispositio animi pro acceptis beneficiis, se benefactori summo omni, quo potest, fervitiorum genere, placitum reddendi.

d) *Fiducia* est secura quædam, non tamen temeraria de bono, quod desideramus, a Deo obtinendo certitudo.

e) *Adoratio* est propriæ humilitatis confessio facta divinæ majestati cognitæ.

f) *Amor Dei* est conatus voluptatis intuitum, quo in Deo perfectiones infinitas cognoscimus, præsentem reddendi, vel si malueris juxta Wolfium Psychol. Emp. P. 2. §. 633. est dispositio animæ ad percipiendam voluptatem ex infinita Dei felicitate.

(g) Deus l. c. a Federo definitur, quod sit ens potentissimum, benignissimum, sapientissimum, & Metaph. C. 4. Sect. 1. §. 74. ait. Dei nomine intelligimus omnium, quæ mundum constituunt rerum, mundique adeo ipsius causam supremam, eamque intelligentem. Comparatur huic definitioni adlata a me p. 105. dissert. impugnata, & quilibet observabit, re omnino esse eandem. Ostendat igitur J. S. R. aut Federi immo Philosophorum in communi definitionem esse falsam, aut cesset carpere meam. Interim, dum aliam

non





non docuerit meliorem, (& quomodo vel quando?)  
hac contra ipsum utar.

Hiscæ præsuppositis quæro, num admittat adver-  
sarius larvatus Bonum quodcunque, *absolute* aut *rela-  
tive* cognosci posse? Hoc si negaverit; tritum illud me-  
retur: *si tacuisses, philosophus mansisses.* Si adniserit;  
quæro ulterius, si perfectiones divinæ *absolute* confide-  
rentur; an tum immediatissimæ sint ex philautia seque-  
læ virtutes supra memoratæ? Hoc, quomodo ostendat  
mihî, avide exspecto.

II. Eorum, quæ immediate inter se connexa sunt,  
unum a priore connectitur; alterum a posteriore: seu  
unum est *ratio*, & alterum *rationatum*. Jam de hisce  
axiomata Philosophis omnibus, ut communia, sic cer-  
ta, vel ipsis Philosophiæ Candidatis nota sunt, videli-  
cet: *Posita ratione debet poni rationatum; &: posito ra-  
tionato debet poni ipsa ratio.* Ergo sicut adfirmata hac  
propositione: *homo habet conatum veræ suæ felicitatis pro-  
movendæ juxta adversarium sequerentur etiam immediate,  
propositiones sequentes: ergo homo revereri Deum, gratus  
esse Deo, fiduciam habere in Deum, amare Deum debet;* quia  
posita ratione poni debet rationatum, & propositiones  
omnes posteriores rationata sunt prioris, quæ est illarum  
ratio: sic pariter adfirmatis posterioribus propositioni-  
bus, deberet adfirmari prior, & immediate sequi, ergo  
legitima esset hæc argumentatio: *Homo debet revereri,  
adorare, amare Deum, gratus esse Deo, fiduciam habere in  
Deum: ergo homo habet conatum in se veram felicitatem  
suam promovendi.* Sed hoc puto nec ipse adversarius ad-  
mitteret; tam hebes enim non erit.



III. Si definitionem Wolfii admiserit, quam ipse de amore dat, scilicet, quod sit dispositio animæ ad percipiendam voluptatem ex infinita Dei felicitate; hanc utique voluptatem percipi posse, quin Deum cognoscamus *ut nobis bonum* admitter. Possum enim singulas realitates separatim considerare in Deo, v. g. modo quod fit ens a se, modo quod fit omnipotens &c. & demum ad me respicere. In omnibus hisce prioribus casibus amare Deum possum, quia quælibet earum realitatum amore digna est, & in hisce omnibus immemor adhuc tum mei ipsius, consequenter hujus amoris ratio non potest quidam philautiæ actus esse.

IV. Addat amorem complacentiæ in quovis objecto præcedere amorem tum eum, quem scholæ benevolentia vocant, tum eum, qui concupiscentiæ dicitur. Prius est enim cognoscere ea, quæ rei insunt *absolute*, deinde *relate vel ad illum* quem amo, vel *relate ad me*, ob quem amo.

\* Quod Cl. Eberhard attinet non adduxi eum tanquam sympathiæ Patronum; verum quivis ex hætenus dictis intelliget, amorem illum admittere Dei hætenus defensum.

Quum hæc scribo, incidunt in manus viri vere Philosophi Joannis Bapt. Kleber animadversiones ad vindicias Judicii philosophico theologici Friburgensis, ad quem Larvatum meum adversarium ob temporis angustias, & typographi plura præstandi modo impotentiam interim remitto; usque dum per ferias plus otii nactus etiam promissam meum Germanico idiomate exsolvere possim. Lector benevolus interea ex hisce judicet, quam æquus hic refutator fuerit.






# POSITIONES

EX

## LOGICA THEORETICA.



1. *Logica est Scientia regularum intellectum in cognoscendo vero dirigentium.*
2. *Verum cognosci, vel ex simplici rei cujusdam representatione seu idea, vel ex judicio, vel denique ratiocinio potest.*
3. *Idea ratione originis in adventitiam & factitiam dividitur: innata nulla datur; quamvis eas, quod post Lockium mireris, ante duos annos rursus, sed pessime defendere conatus sit J. Bap. Halle Philosoph. Luxemburgi Professor. Quæ idearum ratione objecti, & modi representandi sint classes, adsignabit Defendens.*
4. *Idea tam rerum possibilium, quam actu existentium sunt capaces vel veritatis, vel falsitatis; prout objecto suo extra mentem existenti vel conformes fuerint, vel difformes.*
5. *Judicium non est tantum intuitus, sed adsensus mentis nostræ duarum idearum inter se identitati aut distinctioni præstitus: vocibus seu terminis expressum, propositio dicitur.*

X

6. Rā-

---

\* Pagina videlicet 7. statuit dari ideas innatas, & pagina 13 ait: at verum est, omnes mentis ideas, in præsentis vitæ statu, aliqua ratione a sensibus dependere.



6. *Ratione qualitatis propositio vel affirmativa, vel negativa est: ratione quantitatis in universalem, particularem, & singularem, quæ universali æquivalet, dispescitur.*
7. *Dignoscendæ propositionum quantitati minus inserviunt signa illa vulgo universalia & particularia adpellata, sed securius Tyronem dirigunt Canones isti.*
  - a) *Omnis propositio determinata est universalis.*
  - b) *Omnis propositio indeterminata est particularis.*
8. *Propositionem determinatam vocamus, cujus subjectum rationem sufficientem prædicati in se continet: indeterminatam vero, cujus subjectum hanc rationem non continet.*
9. *Ut vero cognoscatur, an subjectum sufficientem prædicati rationem in se contineat, nec ne; dispiciendum est, num prædicatum sit essenziale, vel attributum: aut interne, vel externe accidentale: prius si fuerit; subjectum consinet dictam rationem: posterius si fuerit; non continet.*
10. *Ex propositionibus indeterminatis fieri determinatæ, adeoque ex particularibus universales possunt; si scilicet conditio illa adponatur ipsi subjecto, sub qua illi prædicatum convenit.*
11. *Propositiones, quæ collectivæ, aut disjunctæ esse suppositionis dicebantur, referimus ad singulares.*
12. *Statuto hoc propositionum in determinatas & indeterminatas discrimine, facilis est etiam propositionum vulgo indefinitarum discretio.*

13. *Omnis*





13. Omnis propositio determinata est in materia necessaria; indeterminata vero in materia contingenti.
14. Quantitas predicati in propositione negativa universalis; in affirmativa particularis est.
15. Vera est generatim propositio; quando omnia ita se habent, quo modo ea se habere propositio enuntiat.
16. Speciatim propositio in materia necessaria nil aliud ad sui veritatem requirit, ac predicati cum subjecto identitatem, aut distinctionem: affirmativa in materia vero contingenti, si predicatum fuerit physicum, præter identitatem predicati & subjecti, prærequirit etiam utriusque existentiam.
17. Propositio copulativa affirmativa ad sui veritatem requirit veritatem omnium simul membrorum: Disiunctiva unius tantum membri: Conditionalis, ut nexus talis conditionem inter & conditionatum sit, vi cuius posita conditione poni quoque conditionatum debeat.
18. Propositiones contradictorie oppositæ nec simultaneæ veritatis: contrarie oppositæ in materia duntaxat contingenti simultaneæ falsitatis: subcontrarie oppositæ veritatis simultaneæ in materia pariter duntaxat contingenti capaces sunt.
19. Actus, mentis nostræ, quo duarum idearum identitatem aut distinctionem inferimus ex identitate aut distinctione, quam habere eas in quadam tertia cognovimus, ratiocinium adpellamus. Quodsi id perfectum aut si mavis, apertum fuerit, verbisque expressum, syllogismus dicitur.



20. Nititur ergo ratiocinium principii metaphysicis. *Quae-  
cunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se :  
Quaecunque sunt distincta in uno tertio, sunt distincta  
inter se.*
21. *Quale est consequens formaliter spectatum; tale est an-  
tecedens.*
22. *Regulae syllogismorum simplicium speciales ex vulgaribus  
versiculis: terminus esto trinus &c. multam tyronibus  
facilitatem praestant.*
23. *Syllogismus hypotheticus nititur principio rationis suffi-  
cientis: disjunctivus vero principio contradictionis.*
25. *Veritas Logice considerata est omnimoda conformi-  
tas cogitationum nostrarum cum suis objectis.*
26. *Objecta cogitationum nostrarum vel sunt mere possibi-  
lia, vel actu etiam existentia: vera igitur erunt cogi-  
tationes nostrae de objectis possibilibus; si ea re ipsa  
possibilia: de objectis existentibus; si ea re ipsa fuerint  
existentia.*
27. *Ratio mentem determinans, ut intelligat cognitionem  
suam cum objecto esse conformem, adpellatur crite-  
rium: ratio autem ista, ex qua mens nostra intelli-  
git, cognitionem suam esse veram, vel est ipsa illa, ob  
quam vera est nostra cognitio; vel est tantum aliquid  
connexionem cum ea habens, vi cuius haec sine illa dari  
non possit: prius si fuerit: criterium internum; si  
posterius; externum dicitur.*
28. *Criterium tam in-quam externum sufficiens est; si  
nexus talis inter illud & veritatem intercedat, ut se-  
parari*





parari ab illo non possit: si vero talis nexus non intercedat; insufficientis est.

29. Mens nostra de suis cognitionibus certa est; si sufficientia veritatis criteria habuerit; simulque istorum sufficientiam agnoverit: tum enim segura & omnis errandi formidinis expers in illa quiescit. Status autem ipse mentis nostræ ejusmodi, certitudo audit.
30. Certitudo triplex esse potest: si criteria sine ejusmodi, quæ nullo in casu fallere possunt; metaphysica: si salvis naturæ legibus fallere nequeant; physica: si non, nisi summa cum difficultate, & mutatis notabiliter hominum moribus fallere queant; certitudo dicitur moralis.
31. Quam objecta cognitionum nostrarum partim sunt existentia, partim possibile; criteria pro utrorumque veritate rite dignoscenda dari, necessum est.
32. Sensus intus, seu illa vis animæ, qua hæc suas adfectiones in se præsentis persentiscit, criterum sufficiens est veritatis idearum, quæ adfectionis in anima existentiam representant; ita quidem, ut nullo in casu fallere possit, & certitudo mentis nostræ inde enata prorsus sit metaphysica.
33. Veritas idearum, quæ proprium corpus ut physice existens, variasque ejus mutationes tum in partibus intus exterioribus excitatas, ac alia corpora representant extra nos posita, variisque adfectionibus prædita, in quibus ratio sufficiens mutationis in corpore nostro excitatæ continentur, sufficienter intelligitur ex illis



ipsis ideis, quas propterea sensuales dicimus; eaque certitudo, quæ ex dicta sensuum experientia menti advenit, fallere eam nullo in casu potest circa existentiam saltem corporum indeterminatorum, aut etiam determinatorum constanter in organa sensoria agentium.

34. Testimonium hominum debitis qualitatibus præditum circa res facti criterium veritatis sufficiens esse potest. Tria hæc omnia circa res tantum existentes criteria absolvunt.
35. Mens nostra cognitione possibilium occupata intima subinde claritate idearum notas discernit, identitatem aut distinctionem inter se aut immediate, aut mediate intruetur, ac proinde manifeste videt, objectum suæ cognitionis ita se habere, quemadmodum illud per hanc representatur. Ejusmodi cognitio dicitur evidenter certa, & certitudine quidem tali, quæ fallere nequam potest.
36. Communis quædam omnibus hominibus constans, & non voluntaria inclinatio ad asserendas quasdam veritates, quin ad id impellantur aut ab aliqua illarum ratione sufficiente distincte cognita, seu mediate, seu immediate, aut ab aliqua sensatione externa, aut ab auctoritate sive institutione humana sensus naturæ communis dicitur, & criterium est veritatis sufficiens judiciorum illorum, quæ sunt fundamenta honestatis, aut ex uniformibus iisque diu multiplicatis experientiis deductæ pro casibus particularibus sequelæ:

Quod





Quod quidem circa prioris generis iudicia certitudinem menti nostrae metaphysicam, circa posterioris vero physicam parit.

37. Non semper mens nostra criteria veritatis realis, tam intrinseca, quam extrinseca, integra, sed ex parte duntaxat quandoque cognoscit: In casu ejusmodi veritas ipsi certa non est, sed probabilis tantum; & quidem eo probabilior, quo plures rationes veritatis insufficientes, aut criteria partialia cognoverit, vel minus probabilis; quo pauciores rationes veritatis insufficientes, aut criteria partialia cognoverit. Quando autem aequae tot & graves insufficientes rationes tam pro rei veritate, quam falsitate habuerit mens nostra, & inde ad sensum suum suspendat, dubia ipsi est veritas.

## EX LOGICA PRACTICA.

1. Omnis cognitio veri, quam sola attentione & reflexione supra nostras perceptiones sine ullo ratiocinio obtinemus, dicitur experientia. est igitur singularium duntaxat cognitio; & hanc ob causam, qui ad experientiam provocat, casum adferre singularem tenetur.
2. Quid sint Phenomena, observatio, experimentum, experientia stabilis, vitium subreptionis in experiundo, notum a posteriori, aut priori, adsignabit Defendens.
3. Quidquid cognoscimus; vel a priori, vel a posteriori cognoscimus.



4. *Modus universim veritatem a posteriore inveniendi, et resolutione sequentium problematum patescit:*
- I. *Quomodo formantur judicia affirmativa immediata a posteriore?*
  - II. *Quomodo negativa?*
  - III. *Quomodo invenitur a posteriore, an predicatum judicii intuitivi a posteriore jam inventi sit modus, an attributum vel nota essentialis?*
  - IV. *Quomodo formantur notiones universales distinctae a posteriore?*
  - V. *Quomodo efficitur a posteriore, ne notio inventa et pro definitione adsumenda sit suo definito latior, aut angustior, aut abundans?*
  - VI. *Quomodo per experientiam formatur definitio generica, etiam quum definitum adhuc incognitum est?*
  - VII. *Quomodo determinatur per experientiam, quae sit alicujus mutationis causa: aut si plures fuerint causae, quis sit cujuslibet influxus?*
  - VIII. *Quomodo Propositio particularis per experientiam redditur universalis?*
5. *Modus veritatem inveniendi a priore sequentium problematum solutione patescit.*
- I. *Quomodo data una vel pluribus notionibus specierum invenitur notio generis?*
  - II. *Quomodo data definitione generis invenitur definitio specierum, et divisionum legitimarum?*
  - III. *Quomodo data definitione unius speciei inveniri potest et definitio alterius speciei sub eodem genere contentae?*
  - IV. *Quo-*





- IV. *Quomodo per experientiam probatur notionum arbitria determinatione inventarum veritas?*
- V. *Quomodo data definitione nominali vera inveniuntur axiomata?*
- VI. *Quomodo ex definitione data inveniuntur novae propositiones per demonstrationem Syntheticam?*
- VII. *Quomodo dato theoremate ejus invenitur demonstratio analytica.*
- VIII. *Quomodo data propositio apogogice demonstratur?*
- IX. *Quomodo data notione imaginaria invenitur realis?*
6. *Quæ sint methodi Scientificæ, alios convincendi, thesin defendendi, disputandi, libros legendi & interpretandi leges, adsignabit Defendens.*

## POSITIONES METAPHYSICAE EX ONTOLOGIA.

1. **E**ntis in genere, mundi universe sumpti, atque spirituum scientia Metaphysicam, uti hodie pertractatur, absolvit.
2. Partes hæc omnes tum illius evincunt utilitatem, tum ad altiores scientias necessitatem: ridendi propterea sunt miserabiles illi declamatores, qui rotabile sua in scientiam hanc, data aut adtracta etiam vi occasione, involvuntur; ac vel maxime suam in hodierna metaphysica ignorantiam patefaciunt, quum eam impugnare volunt.



3. *Paulatim homines ad abstracte cogitandum deducti, orſe videlicet a rebus, quibus circumdati fuere, ſenſibus, proprietates deinde in pluribus obſervatas, ſeorſim conſiderare tentarunt: tentamine uno e votis peracto ſubſequutum eſt alterum, & ſic paulatim alia atque alia; uſque dum ad noſiones tandem generaliſſimas peruentum eſt: atque hoc initium fuit ſcientia illius, quæ hodie Metaphyſica audit.*
4. *Nominis vero ipſius origo communiter Andronico Rhodio tribuitur, qui libros Ariſtotelis a ſitu purgatos, in ordinem poſtea eum, quem hodie dum habent, digeſſit, & ea, quæ cum reliquis non tam apte coherere videbantur *μετα τα φυσικα* (poſt phyſica) collocavit.*
5. *Scientiam noſionum ſimpliciſſimarum, primorumque probandi ac demonſtrandi principiorum, vocabulo a græcis deſumpto, Ontologiam dicimus; quæ, ut hodie dum traditur, auguſtior eſt, quam ut Lexici philoſophici, aut alia labe notari queat.*
6. *Primum, quod in ente occurrit, eſt ipſa ejus cognoſcibilitas; hinc principium rationis ſufficientis jure dixeris primum humane cognitionis principium: & quia rationem entis primam eſſe cognoſcibilitatem experientia intimiſſima novimus: ea vero cognoſcibilitas deſt contradictioni, ens illam eſſe non poſſe intelligimus, ideo principium contradictionis immediate ex priore rite evoluto ſequitur.*
7. *Quidquid a contradictione immune eſt, poſſibile dicitur; quidquid vero continet eam, impoſſibile eſt. Tam poſſibilitas*





bilitas hæc entis, quam impossibilitas interna est, & præter externam a sano philosopho admittenda.

8. Non omne, quod possibile est, hoc ipso etiam existit; sed ut possibile existat actu, requiritur determinate illius ratio sufficiens ejusdem existentiam determinans; quæ, si eni infuerit ipsi, illud non potest non existere.
9. In ente actu existente non plures insunt determinationes, quam in ejusdem possibilitate: hinc ens possibile & ens existens semper omnino idem sunt.
10. Quod absolute impossibile est, in nulla hypothesi fieri possibile potest: bene autem illud, quod sub certa duntaxat conditione est impossibile, sublata ista fit & est possibile.
11. Ens omne seu possibile, seu existens alterutram contradictionis cujusvis partem continet, adeoque omnimodo determinatum est.
12. Determinationes entis vel sunt constantes vel variables: constantes ceterarum determinativæ, notæ essentiales, illarumque complexus essentia; constantes autem per alias determinatæ, attributa dicuntur: Notæ variabiles simul & mutabiles, modi; variables tantum, modorum analogæ, seu vocabulo utrisque accidentiæ adpellantur.
13. Ens omne debet habere essentiam suam, quæ a priori demonstrari non potest.
14. Quum attributa suam rationem sufficientem in essentiis habeant; ex iis a priori demonstrari possunt.



15. Nihil enti inesse potest præter essentialia, adtributa, & modos, vel certe analoga modorum.
16. Nec modi, nec modorum negatio per essentialia entis determinantur: ratio tamen possibilitatis modorum in essentialibus continetur; hinc modorum possibilitas adtributum est.
17. Modus, qui primus enti inest, habet rationem existentie sue saltem insufficientem in ente externo.
18. Ens quodvis per essentiam suam possibile est; qui proinde distincte noverit entis possibilitatem, etiam ejus essentiam hoc ipso intelligat, necesse est.
19. Ens notis omnibus suis constantibus præditum & simul variabilium capax, substantiam dicimus: coexistentia autem determinationum omnium, per quas omnimode determinatum existit, statum ejus absolvit.
20. Determinationes contradictoriae in eodem ente compossibiles non sunt: proprius igitur rerum distinctionis character est contradictio in quacunque nota.
21. Ens necessarium est, cujus ratio sufficiens existentie absolute necessaria est: ens vero illud, cujus existentie ratio sufficiens non absolute necessaria, sed possibilis tamen est, contingens adpellatur.
22. Omne ens necessarium sufficientem suæ existentie rationem vel in sua, vel in alterius entis necessarii essentia, aut saltem in alterius necessarii adtributo habere debet.
23. Nullum ens contingens, immo si statuatur etiam series entium contingentium infinita (quam tamen actu dari, implicat) continere in se potest rationem sufficientem suæ,





*suæ, aut aliorum existentie; sed ratio illa absolute in ente necessario & a se ipsa existente contineri debet: Ab existentia igitur entis contingentis optime concluditur ad existentiam entis necessarii; quod tamen existentia entis contingentis ratio nequaquam absolute necessaria, aut per essentiam suam esse potest, sed liberissima esse debet.*

24. *Infinium est ens a se, adeoque necessario existit: immo infinitum hoc ipso possibile non foret, si non actu a se & per se existeret.*
25. *Idem omnium finitorum perfectiones eminenter continet; quia continere debet perfectiones omnes possibles sine defectu; hinc non potest dici in certo genere aut specie perfectum.*
26. *Competit ipsi absolutissimum in omnia entia finita dominium.*
27. *Unicum tantum possibile est, & existit.*
28. *Finita multiplicari, perfici, modorum esse capacia, plura simul, aut successive existere possunt.*
29. *Tam simultaneitas, quam successio entium relationes sunt diversæ existentiarum plurium.*
30. *Simultanea diverso modo coexistentia dicuntur extensa localiter, extra se posita, mutuo non penetrata: discrimen igitur simultaneorum in modo coexistendi locus est; & complexum ex omnibus simultaneorum locis spatium conficit: tam spatium vero, quam locus possunt vel esse realia, vel abstracta;*



31. Nullum spatium seu reale, seu abstractum complecti potest locorum discrimina compossibilia numero infinita.
32. Possibilia sunt discrimina localia omnium possibilium minima: hinc entia simplicia sibi mutuo contigua esse possunt, quin compenentur.
33. Successionem entium per discrimina in modo succedendi multiplicata, tempus dicimus, & hinc concludimus, ipsam ejusdem entis durationem nullam quoad se successionem existentie, neque adeo tempus involvere.
34. Ratio cum suo rationato a priori: rationatum cum sua ratione a posteriori: & quae ejusdem rationis sunt rationata, a concomitanti inter se connexa sunt.
35. Agere est esse rationem existentiae realitatis diversae; & pati est accipere realitatem, cujus existentiae ratio est in ente realiter distincto.
36. Omnis passio cum alterius entis realiter distincti actione; non autem vicissim omnis actio cum passione conjuncta est.
37. Substantiis finitis potest competere, immo actu competit vis activa, seu producendi modos actione tam immanente, quam transeunte.
38. Substantia vero ens quodcumque finitum nec producere potest, nec conservare: hinc etiam implicat, duo entia finita mutua actione se producere.
39. Quum substantiae non, nisi annihilatione perire possint; substantiis finitis non competit vis, qua una alteram, aut omnes etiam simul sumptae vel unicam perire faciant.





40. Nulla causa finita potest agere in subiecta plura semper ac remotiora sine termino.
41. Infinitum actione sua ad omnes finitorum actiones immediate concurrere debet.
42. Nexus infinitum inter & finitum mutuus, non autem mutua est dependentia.
43. Essentia compositi qua talis tum in qualitate substantiarum componentium, tum in modo compositionis constat.
44. Nec datur unquam substantia composita.
45. Ens simplex oriri sine creatione, & interire sine annihilatione non potest: contrarium obtinet in composito.

## EX PSYCHOLOGIA.

- a. Existit in nobis ens aliquod, quod & sui ipsius & rerum externarum conscius est: ens istud mentem, seu animam vocamus.
- a. Hec ipsa mentis nostrae existentia efficacissime probatur ex conscientia secunda, qua mens nostra, utpote actione sua, primum existentiae suae exercitium intuetur.
3. Quum mens nostra cognoscit corpora extranea, immo & corpus proprium, discernit inter ea tanquam objecta cognitionis, seu res cognitae, non vero tanquam cognoscetes; patet igitur eam se tum ab externis, tum a proprio corpore discernere.
4. Mens nostra conscia sibi est, se esse eandem, quae olim extiterit, & existat hodieum cogitando: Cognitiones in eadem anima sibi aliae atque aliae succedunt: est igitur



zur mens nostra subjectum perdurans, ac variarum modificationum capax, adeoque substantia, eaque, quia mutabilis est, finita.

5. Capacitas recipiendi ideas rerum externarum per organa sensoria: vis sentiendi externa: Facultas intuitum in ipsas ideas convertendi, & continuatione istius intuitus conscientias primas efformandi, sensus internus: Facultas inveniendi hasce ideas & conscientias, quatenus sunt adfectio animæ, sensus intimus. Directio intuitus in ipsas ideas, adtentio: Adtentiois continuatio, reflexio: Facultas reproducendi ideas olim habitas, phantasia: Ipsa reproductio illarum, imaginatio dicitur: gaudet proinde mens nostra facultatibus sentiendi externa, interna, intima, adtendenti, reflectendi, & imaginandi.
6. Nostras de rebus cognitiones dicimus obscuras, claras, confusas, distinctas, incompletas, completas pro numero notarum discriminantium in iis observatarum. Si nullum, aut vix aliquod discrimen advertimus, obscura: Si aliqua, quæ sufficiunt ad rem cognoscendam, & ab omni alia discernendam, clara: Si pauca, confusa: Si plurima, distincta: Si tamen non omnia, incompleta: Si denique omnia cognoscimus discrimina, cognitio, seu idea nostra dicitur completa: Patet inde nostras de rebus cognitiones non posse esse nobiliores ideis, quas de rebus istis habemus.





7. Rerum discrimina non, nisi per attentionem continuatam adveri possunt: hinc tantum ope reflexionis distinctas rerum ideas seu cognitiones acquiri palam est.
8. Facultas Confusis rerum cognitionibus terminata, facultas cognoscendi inferior: ad distinctas completasque rerum notiones ope reflexionis eluctari potens, facultas cognoscendi superior audit: utraque prædita est mens nostra.
9. Bonum cognitum adpetere; malum vero aversari mens nostra potest: facultas hæc adpetendi aut aversandi inferior dicitur; si cognitio tantum confusa: superior; si distincta præcesserit.
10. Ad omnem sensationem externam requiruntur teste experientia a) actio seu impressio objecti sensibilis in organa sensoria proportionata. b) Motus fibrarum organi proportionati analogus, & ad cerebrum, ipsamque in eo animæ sedem propagatus. c) Idea seu perceptio in mente exorta inde, representans immediate motum objecti externi, ferientis organum. d) Perceptio & conscientia in sensu interno de ipsa idea seu idea sensualis, quæ sola ultima menti ipsi, seu propria ipsius modificatio inest.
11. Pro libitu possumus nunc huic, nunc alteri objecto ad-movere organa sensoria proportionata; adeoque harum vel aliarum idearum præsentia dicto sensu nobis est libera; quæ sæpe sunt de rebus prorsus disparatissimis, nullum inter se nexum neque a priori, neque a posteriori habentibus: Mens igitur sola ex determinatione



essentiæ non generat ideas sensuales; quod ipsum sensus intimi, talem generationem sicuti conscientias ipsas testari debentis, defectus confirmat.

12. *Mundus hic corporeus medium est per se aptum ad veram beatitudinem creaturæ rationalis promovendam; bonitate igitur respectiva gaudet; hac vero careret, nisi elementa pollerent vi activa determinandi ideas sensuales. Aliqua proinde vis activa in ipsam animam elementis hisce abjudicari nequit. Ipsa adeo mens facultate hac passiva recipiendi ejusmodi in se actionem perficitur, & hac admissa optime explicatur idea sensualis genesis, existentie objecti externi, tanquam aliquid ab ipsa mente atque idea sensuali distincti, cognitio. Leges idearum harum adsignabit Defendens.*
13. *Sensu intimo experimur, attentionis intuitum non semper respondere impressioni fortissime, immo nos modo ad hoc, vel aliud objectum, modo ad hanc, vel illam objecti compositi partem illam pro labitu dirigere posse: evidens ergo est, attentionis intuitum non in reactione repulsionis analogâ, eaque omnium maxima consistere, ut voluit Cl. Robinet.*
14. *Quum rerum singularium extra nos existentium imagines nobis representate, ideæ dicantur: intuitus vero in has, quo singulas a singulis discernamus, conscientia vel cogitatio prima sit: quum denique intuitus ille reflexus, quo conscientias primas ab ideis, earumque objectis discernamus ceu aliquid nostri, conscientia seu cogitatio secunda adpelleretur, patet nos duplici*





duplici modo cogitare posse, directe scilicet & reflexe.

15. Directio intuitus in ipsas ideas, adtentio est, & hæc continuata reflexio dicitur (exposit. 5.) tam prima igitur, quam secunda conscientia per adtentioem generatur. Quum vero ex sensu intimo constet, eandem esse mentem nostram, que totius objecti compositi, vel sensibilis conscientiam nanciscatur ope adtentiois ita, ut, quod unius partis objecti conscium est, conscium etiam sit partis alterius, & totius compositi: Quum contra si adtentiois intuitus motus foret plurium elementorum simplicium, unum compositum efficientium; sicut plures essent motus parciales in pluribus elementis, ita deberent esse plures conscientie parciales in singulis istis, & nullum eorum totius objecti posset esse conscium; quia in nullo eorum omnes isti motus collecti forent: consequenter adtentio tam primam, quam secundam conscientiam generans non potest consistere in motu plurium elementorum simplicium; adeoque in simplice tantum substantia existere potest.
16. Quin, quum diversi motus in una eademque individua compositi parte esse nequeant; conscientia vero sit quedam in perceptionem ipsam reflexio, adeoque conscientia & perceptio inter se aliquo saltem modo distinguantur, & propter hanc distinctionem diversos ad se producendas vias requirerent, ne partialis quidem conscientia individuo ejusmodi compositi elemento inesse potest.



17. Quodsi etiam gratis interim transmitteretur, singula elementa singulas habere perceptionum suarum singularum conscientias; nullum tamen illorum posset habere conscientiam illius, quæ in altera est, perceptionis: quum cogitatio quævis recipiatur in ente, a qua producit, adeoque elementum quodvis sibi, & non alteri cogitet.
18. Ridendi sunt etiam ii, qui individuas materiae partes suas sibi mutuo perceptiones manifestare posse contendunt, quemadmodum homini homo sua cogitata patefacit. Hæc enim manifestatio materiae per communicationem motus fieri deberet. Pone ergo, accedant ad se mutuo ejusmodi duo materiae puncta per motum sibi perceptiones suas communicatura: impingant in se ex viis oppositis, viribus aequalibus. Elastica nisi erunt; destruetur motus omnis, adeoque perceptio, & igitur nulla erit communicatio. Elastica si fuerint, punctum quodvis tantum de motu, ac proinde etiam tantum de perceptione, hujusque conscientia deperdet, quantum communicat alteri: nunquam igitur eam, quam habet, sed immutatam perceptionem communitabit. Hoc autem omnino aliter in mente nostra se habet suæ ipsius perceptionis sibi conscia. Adde communicationem ejusmodi moram postulare saltem aliquam, quam tamen non experitur mens nostra. Eadem enim homo, cui manifestantur cogitata ab alio, se nunquam putat esse ens unum cum manifestante, neque manifestans cum eo, cui manifestavit; contrarium rursus in mente nostra est.





19. Si ad unam mearum perceptionum accedat alia; prior non mutatur: & si plura simul percepta singillatim considero; manent eadem: ergo mens nostra perceptionum suarum eo, quo in singulis partibus sunt, modo sibi conscia est.
20. Ex positione decima sexta patet, nec singula materia puncta posse habere conscientiam integram totius objecti a nobis percepti; quod evincitur etiam ex absurdo, quo sequeretur tot esse animas, quot essent simplicia in nobis istius materiae ad cogitandum apta puncta.
21. Judicium (ex Logica) est annutus mentis identitati aut distinctioni duarum idearum inter se praestitus. Ad ferendum igitur quodvis judicium requiruntur notiones a) subjecti, b) praedicati, c) utriusque inter se identitatis aut distinctionis. Quodsi igitur judicare materia posset, praeter motum illum, quo annueret identitati aut distinctioni duarum idearum inter se requirerentur adhuc alii tres diversi motus, quibus scilicet ideam subjecti, deinde praedicati, & demum utriusque inter se dis- aut convenientiam cognosceret: requirerentur itaque in uno eodemque individuo materiae puncto quatuor motus diversi, uno eodemque tempore praesentes, quod prorsus esse contra physicas motuum leges; in aprica est. Materia igitur, sicut nec simplices habere potest perceptiones, harumque simul conscientias, ita nec judicare valet.
22. Actus mentis, quo ex identitate aut distinctione duarum idearum cum quapiam tertia illarum identitatem



- aut distinctionem inter se colligo, ratiocinium est. Ad quodvis proinde Compleverum ratiocinium tria requiruntur iudicia: Hec aequae; sicut idearum perceptiones, in motione materiae consistere nequeunt; ergo nec ratiocinium motu materiae nasci ullum potest.
23. Ex haecenus positis abunde liquet, nec individuum materiae punctum unicum, nec plura seorsim spectata cogitare posse. Quum vero ante multos annos praeteritorum reminisci adhuc valeamus, & particulis aliis atque aliis e corpore sublatis, & aliis in illarum locum substitutis idem experimur eius illud, quod in nobis cogitat; particulae individuae in massam collectae seu corpus nostrum cogitare non potest.
24. Actiones omnes sunt substantiarum & non modorum, compositio modus dumtaxat est, vis itaque cogitandi in compositioe corporis nostri consistere nequit.
25. Corpora alia non cogitant, ergo & nostri corporis adfectio essentialis vis cogitandi esse nequit. Immo nec organizatio, utut artificiosa, hac vi adfecta esse potest. Est enim ea compositio, & quidem materiae ad cogitandum prorsus ineptae pariter inepta.
26. Vis cogitandi impossibilis est cum proprietatibus materiae cognitae; ergo frustra refugium quaerunt Materiales philosophi in proprietatibus illius incognitis.
27. Compositum nullum cogitare potest; potest autem anima; ergo simplex est ea.
28. Nullum materiae punctum etiam simplex cogitare potest etiam materialia, multo minus spiritualia; ad omnem  
status





status sui mutationem ab externo determinanda est materia: anima se determinare ipsam potest; potest cogitare materialia & spiritualia, simplicia & extensa: est igitur ipsamet spiritualis.

29. Spiritus est substantia intellectu & voluntate praedita; mens itaque nostra spiritus est.

30. Motus varii ad arbitrium anima in variis corporis partibus exoriuntur, & cessant: certis pariter moribus corporis, anima etiam inscia aliunde exortis, continuo convenientes perceptiones passivæ & mutationes in mente respondent: artissima proinde inter actiones mentis & corporis harmonia est.

31. Quando ex arbitrio anima motus corporis consequuntur, experimur intus, semper intervenire conatum mentis nostræ, & quidem illi, quem inveniit, motui commensuratum. Quodsi motus iste in corpore re vera mentis nostræ actione fieret; quum mens tantum actiones suas immanentes sentire possit, & solus iste conatus non vero illius effectus motus videlicet, illi sit internus: sequitur alium non posse esse sensum intus; etiamsi re ipsa mentis nostræ actione motus isti in corpore efficerentur.

32. Quum agere sit esse rationem realitatis diversæ, actione autem immanente æque, ac transeunte mentis in corpus realitas quædam ab ipsa mente diversa existentiam obtinent; patet, terminum duntaxat in utraque actione esse diversum, ceterum in genere actionis convenire utramque, atque ideo minime implicare.



33. Praejudicium ergo nudum est, per spiritum intelligere duntaxat substantiam vi intelligendi & volendi praeditam sine vi repellente & motrice. Certe substantiae materiales motu suo & alias substantias materiales ad motum concitare possunt, ut patet ex generalibus motuum legibus. Realitas igitur est vis motrix substantiae ignobiliori competens; quare igitur nobiliori, scilicet menti nostrae, non conveniat? Immo vi muneris sui ab auctore impositi, conservandi scilicet corpus & removendi ab eo res noxias, non modo summo jure competere, verum & necessaria esse talis movendi facultas videtur.
34. Neque vires cogitandi & movendi corpus ita sunt distinctae, ut duas substantias realiter distinctas efficerent: sunt enim vires sibi mutuo subordinatae ad communem finem, ad ideas videlicet ope motus corporis, & ad cogitationes acquirendas ope intuitus in illas, adeoque in una eademque substantia compossibiles.
35. Actio elementorum in animam, cum actione mentis in elementa, in genere actionis transeuntis convenit, neque ulla ostendi potest inconvenientia inde secutura; si elementis tribuatur actio in animam: nihil ergo obstat, quominus & ipsa elementa agere in animam dicantur.
36. Systema influxus physici mutui hypothesi est explicando corpus inter & animam commercio aptissima.
37. Systema assistentiae, uti & Harmoniae praestabilitae pluribus ex capitibus minus satisfacere videntur.





38. *Tournemineanum, quum supponat resistantiam corporis adversus animam sine actione concipi posse, contradi-  
ctione laborat.*
39. *Quum ens simplex partibus careat; si perit, ita perit; ut nihil illius remaneat: anima igitur non aliter, ac per annihilationem perire posset.*
40. *Nulla causa creata annihilare quidpiam potest, quia annihilatio esset cessatio a conservatione, conservatio continua creatio, & sicut haec, ita & ista non conveniet enti contingenti: Conservare propterea quum non possit ens contingens aliud; etiam annihilare non potest: nullum ergo ens contingens annihilare mentem nostram potest.*
41. *Vis cogitandi vita est animae ipsius essentiam constituens; quare, sicuti per vires creatas existentia spoliari nequit mens nostra, ita nec vi cogitandi per eas privari potest.*
42. *Mens a corpore etiam soluta proxime completa gaudet facultate, continuandi cogitationes & volitiones ope phantasiae, memoriae, acuminis, rationis & voluntatis; quippe quibus propriis animae virium naturalium actionibus nihil alioquin materiale seu in cerebro, seu in corpore per se immediate responderet, & ad quas omnibus rationibus possibilitatis gaudet ratione specierum phantasticarum, & simul rationibus sufficientibus existentiae ob vires substantiales sensus interni, atque intrinseci, & appetitus, immo & facilitate eas actiones producendi, ob habitus in vita humana adquiretos. Adde mentem ab occurso, incursoque elementorum novas*




*ideas excitatrices acquirere posse: Vis igitur ista cogitandi non esset vis mortua, non impedita.*

43. *Ex infinita Dei benevolentia etiam ad extra operantis, & providentia evidenter sequitur, mentem humanam esse immortalem.*

## EX THEOLOGIA NATURALI.

1. *Existencia Dei demonstrari potest argumentis metaphysicis, physicis & moralibus.*
2. *Deus est ens absoluta necessitate existens, adeoque existit a se, & omnibus perfectionibus possibilibus puris gaudet.*
3. *Plures existere Deos ex ipso hujus infiniti entis conceptu implicat.*
4. *In intellectus divinus est essentialis determinatio naturae divinae ad intelligendum omne id, quod intelligi potest.*
5. *Deus voluntate gaudet, eaque perfectissima, immutabilis, liberrima tamen in iis, quae extra se agit.*
6. *Omnipotentia sua efficere potest omne id, quod pugnantia non continet.*
7. *Ad perduratum rerum ab ipso creaturarum necessaria est conservatio ipsius directa, seu positivi illius voluntatis divinae decreti, cujus efficacitate de nihilo sunt conditae, continuatio.*
8. *Ad omnes entium creatorum actiones concurrat concursus immediatus.*
9. *Providentissime etiam totum hoc universum gubernat, ita, ut nihil omnino in illo sit, quod ipsius divinae providentiae non subjiciatur.*





EX COSMOLOGIA.

1. *Mundus in genere optime definitur, quod sit unum compositum corporeum, continuum, heterogeneum.*
2. *Materia hujus mundi aspectabilis est finita, mutabilis, & ratio ipsius vere sufficiens est tantum ens necessarium.*
3. *Nequit ergo mundus existere a se ipso; sed suam ab ente necessario existentiam obtinere omnino debuit.*
4. *Hanc tamen non ita obtinuit, ut ex materia aliqua præexistente, aut atomis improductis fuisset configuratus; aut ex ipsa divina essentia emanavit;*
5. *Sed ita conditus est ex nihilo a Deo, ut nec sit, nec esse possit ab æterno.*
6. *Elementa corporum mundum hunc constituentium sunt entia simplicia, inextensa, homogenea, aliquo intervallo a se invicem sejuncta.*
7. *Unde nec contactus mathematicus, nec continuum metaphysicum in rerum natura datur.*
8. *Perfectio mundi absoluta in perfectione essentiali singulorum elementorum, ac simul in modificationibus istorum, atque exorientibus inde mutationibus corporum consistit; quæ vi nexus mutui sibi continuo succedunt: estque eo major; quo plures & perfectiores ejusmodi mutationes reales, vi illius nexus, sibi continuo in mundo succedere possunt.*
9. *Hinc, quamvis finita sit mundi perfectio; complete tamen a posteriori cognosci non potest.*
10. *Imperfectiones absolute, quas in partibus hujus mundi passim observamus, non tollunt perfectionem illius in suo genere; nisi veræ esse probentur imperfectiones, non tantum quoad se, sed etiam respectu totius compo-  
siti mundani in suo nexu considerati.*
11. *Pariter perfectiones absolute non tollunt imperfectionem; nisi veræ probentur esse perfectiones etiam in  
nexu spectatæ.*



12. *Sensa Democriti, Stoicorum, Astrologorum ex siderum situ delirantium, Xenophanis, Spinozæ aliorumque hujus furfuris circa mundi, rerumque in eo eventus, ut inepta, sic impia sunt.*
13. *Natura hujus mundi sibi relicta alias leges in agendo & pariendo servare non potest, quam quas actu observat; & hoc sensu verum est dicere, leges naturæ esse necessarias.*
14. *Stante hac legum naturæ necessitate effectus tamen possibiles sunt, quorum ratio extra naturam querenda est; quin propterea dici valeat, exinde leges illas naturæ violari.*
15. *Effectus illos miracula vocamus: quæ male a quibusdam definiuntur, quod sint effectus extraordinarii, quorum ratio in natura ignoratur, utpote sic non distincta satis ab illis naturæ effectibus, quorum ratio mysterium hactenus humano intellectui fuit.*
16. *Solus auctor naturæ Deus patrare miracula potest virtute propria: quam tamen & communicare potest Angelis & hominibus: nunquam autem vel ipse facere vel fieri per alios permittere in testimonium falsitatis.*
17. *De reali miraculorum existentia si queritur; caute admodum est procedendum, & multa crisi opus, usque statueris quidpiam pro parte aut adfirmante aut negante: Canones adsignabit Defendens.*

## EX ETHICA.

1. *Bonum aut malum entis metaphysicum est ipsa propria ejus cognoscibilitas, aut hujus cognoscibilitatis defectus.*
2. *Tam bonum, quam malum essenziale mutari omnino non potest: bene tamen accidentale.*
3. *Malum aut bonum accidentale in physicum & morale dividitur.*
4. *Consensus determinationum in ente plurium sub ratione boni, perfectio dicitur.*






- rius aliquid agat, quod omnino non vult: hinc ejusmodi actus est involuntarius.
17. Actus voluntarius esse potest; quin necessitate immunis fuerit.
  18. Datur subinde in anima nostra pugna appetituum.
  19. In ejusmodi pugna mens nostra nequaquam a motivo fortiori trahitur ita, ut intuitum suum, ultimamque ad attentionem figere non possit in bono ab appetitu sensitivo proposito, illudque præferre alteri appetitus rationalis.
  20. Datur ergo in anima nostra vera libertas indifferentiæ.
  21. Potest igitur homo eligere bonum aut malum: præstare actus moraliter bonos aut malos.
  22. Bonitas actus moralis in individuo desumitur collectivè ab objecto, siue & circumstantiis: unum horum si defuerit, actus jam moraliter malus est.
  23. Non tamen hic spectatur bonitas aut malitia absoluta; sed prout cognita fuerit ab homine: hinc agens juxta conscientiam non peccat; etiamsi illa erronea fuerit.
  24. Finis omnium actionum humanarum ultimus est solus Deus; ad quem agens rationalis virtualiter saltem & implicite omnes suas actiones referre debet.
  25. Lex Dei æterna est prima moralitatis norma.
  26. Datur jus natura, cui non tantum vis directiva, sed etiam coactiva respectu omnium daturatur hominum sana ratione utentium inest; quodque circa generalia præcepta ignorari non potest.
  27. Jus natura immutabile est, nec proprie in eo dispensari potest.
  28. Lex omnis debite promulgata obligat, nisi in humanis per consuetudinem rationabilem derogatum illi fuerit.
  29. Omnis læsio proximi J. N. prohibita est: licet tamen servato moderamine inculpate tutele vitam, fortunasque etiam per vim extremam defendere.
  30. Duellum jure naturali est prohibitum.





5. Pro varietate boni varia quoque est perfectio.
6. Sola voluptas aut tedium non potest esse veri boni & perfecti criterium; nisi voluptas ista & tedium vera fuerint.
7. Conatus presentem voluptatis intuitum aut continuandi, aut efficiendi praevisum, appetitus, presentis vero mali intuitum aut avertendi, aut impediendi praevisum conatus, tedium in genere dicitur; qui intuitus, si confusus fuerit, stimulus, si distinctus, motivum dicitur.
8. Conatus iste juxta stimulos, adpetitus sensitivus; juxta motiva, rationalis dicitur.
9. Actus adpetitus sensitivi vocantur adfectus, qui in simplices & compositos, eosque vel homogeneos, vel heterogeneos dividi possunt: omnium tamen primitivos esse amorem & odium ex reliquorum derivatorum indole patet.
10. Adfectuum horum minor aut major vehementia a variis reperi causis potest, quas assignabit Defendens; uti & media his domandis apta.
11. Adpetitus rationalis alio etiam sensu, volitio; & aversatio rationalis, nolitio dicitur: facultates utriusque aut voluntas, aut noluntas adpellantur.
12. Nihil volitum, nisi praecognitum: hinc omne voluntarium & cognitione intellectus, & inclinatione voluntatis absolvitur.
13. Voluntarium hoc nequaquam tollit metus, ut ut gravis; quamvis aliquanto imminuat.
14. Tollit autem ignorantia involuntaria seu invincibilis, non item voluntaria seu vincibilis.
15. Ignorantia male ab Ethices, & Theologiae moralis Doctoribus in antecedentem, concomitantem & consequentem dividitur; in ordine ad voluntarium inde mensurandum.
16. Vis inferri nequaquam potest ipsi voluntati, quoad actus suos internos: cogi tamen homo potest, ut exterius





5/67 he



5/07 he

